
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III

XXX
A
32
NAPOLI

Digitized by Google


lumine luminis
In
expers
EXAMEN
Diatribæ Thomæ Williſy
Doctoris Medici et Profeſſoris
Oxonienſis
De FEBRIBVS
Authore Edmundo de Meara Ormonienſi
Hiberno M.D. et Coll: Med. London Socio
honorato.
Anſtelodami, Apud Gerbrandū
Schagen 1667.
Tenebris
In
lucens

BIBLIOTECA NAZIONALE
V. EMANUELE III NA

Digitized by Google

EXAMEN
DIATRIBÆ
THOMÆ WILLISII,

Doctoris Medici, & Profeſſoris *Oxonienſis*, de Febribus.

Cui acceſſerunt
Hiſtoriæ aliquot Medicæ rariores.

Authore
EDMUNDO de MEARA,
Ormonienſi Hiberno, Medicinæ Doctore.

AMSTELODAMI,
Apud GERARDUM SCHAGEN,
M DC LXVII.

In φιλοκαίνους & novorum Luminum oſtentatores.

QUis tantus Novitatis amor? quàm immenſa Cupido eſt
Captivum Erroris quæ φιλόκαινον agit?
Obvia faſtidit quæcunque ac trita; nec uſu,
Aut merito quidquam, ſed Novitate probat:
Et, Nova quum non ſint, Solem faſtidit & Aſtra; ſperat
Et Nova venari Lumina conſtituit:
Quúmq; Homines inter non ſint Nova Lumina,
Queis Homines careant inter habere Feras.
Impiger ergò petit vaſtam Philocænus Eremum,
Ipſe ſibi ignotæ Dúxque Coméſque viæ,
Luſtra ubi ſylvicolûm ſcrutatur & Antra ferarum,
Si quid fortè Novi Luſtra vel Antra ferant.
crutantem fruſtrà nox opprimit. Heu miſer! optet
Jam Comitem ille viæ, jam velit ille Ducem.
eca ſed obſcuris veſtigia ponit in Antris,
Nullus ubi callis, quem ſequeretur, erat.
lox eadem relegens inopino Errore per umbras
Ingratum dubiis paſſibus urget iter.
t Lucis ſpes nulla Novæ. Tum denique laſſum
Pænitet incepti, jámque redire velit;
cino emergens tenuis cùm ceſpite ſplendor
Attoni ſubitâ Lumina luce ferit:
em ſimul ac vidit, Nova Lumina, Lumina, clamat:
Quid moror acceſſum? quid mea vota moror?

Accurrit. Pyrolampis erat. Proh Jupiter! inquit,
Exigui hæc merces quanta laboris erit!
Hæc, ait, hæc aliis accendet Lumina rebus:
Quàm ſordent Radii jam mihi, Phœbe, tui!
Hic ego conficiam quæ cæcum illuminet orbem,
Quæ tenebras abigat diſcutiátque, facem.
Et parat ille facem, quam dum parat, ecce recentem
Jam fulgere videt Sole oriente diem,
Et pariter marcere Novum Lampuridis Aſtrum,
Ac tantæ ſegetem jam periiſſe ſpei.
Vane! quid in ſterili famæ vel laudis Arena
Spem ſeris, unde olim nil niſi inane metas?
Deſine nugarum: vel quas per ſomnia captas
Damnabis falſas ventre latrante dapes:
Quódque ſoporato vanum Nox objicit Aurum,
Carbonem vigili Lux, Philocæne, dabit.

GULIELMUS de MEARA,
Med. Doct. Auth. Filius.

Il-

Illuſtriſſimo D. D.

KENELMO DIGBÆO,
Equiti Aurato, & Sereniſſimæ
HENRIETTÆ MARIÆ, Magnæ *Britanniæ* Reginæ Matris, Cancellario.

DIU mihi deliberandum non fuit, Vir Ill^{me}, cuinam potiſſimùm lucubratiunculas haſce nuncupatum irem. Quem enim Literarii hujus Certaminis ἀγωνοθέτην & arbitrum auſpicatiùs eligerem quàm Te, Virum omni tum divinæ tum humanæ Literaturæ ſupellectile inſtructiſſimum, quem literati omnes tanquam βιβλιοθήκην ἔμψυχον venerantur ac ſuſpiciunt? Cujus patrocinium lubentiùs ambirem quàm Tuum, Viri & natalium ſplendore lluſtris, & militari gloriâ inclyti, & erum omnium uſu & cognitione ıpra mortalium pleroſque cumuıtiſſimè ornati? Cui labores hos ualeſcunque alacriùs offerrem uàm Tibi, cujus in me humanitas

A 4 omnem

omnem non modò referendi ſpem eripuit, ſed & gratitudinis exprimendæ facultatem exhauſit ? Verùm alio etiam titulo fœtus iſte meus clientelam Tuam non tam ambire, quàm jure quodam ſuo vendicare videtur : Tu ſiquidem illum à parente ſuo perpetui carceris damnatum in lucem & libertatem aſſertum voluiſti : Tu adverſarios denſo agmine invaſuros expaveſcenti, animúmque ante tubam deſpondenti, favoris Tui ſpiritum & vigorem inſpirâſti; quibus refocillatus, ultro jam arenam & pulverem depoſcit, eruditorum ſcilicet omnium judicii ſecurus, ſi Tui. Patere igitur ut ſub Tuæ authoritatis patrocinio lucem aſpiciat; quâ benignitate ad ſublimiores conatus majores animos feceris

Illuſ. Dom. tuæ Famulo Addictiſſimo,

EDM. DE MEARA.

Examen Diatribæ

THOMÆ WILLISII,

Doctoris Medici, & Profeſſoris *Oxonienſis*, de *Febribus*.

PRÆFATIO.

QUamquam in patientiſſimo Speculationum Medicarum Oceano, eodémque non minùs magnalium & arcanorum quàm perplexitatum & ambiguitatum propemodum inextricabilium feraciſſimo, liberrimum cuilibet ſemper fuerit, ac porrò debeat eſſe, diverſo à Majorum veſtigiis curſu inſtituto ingenii vela explicare, novóſque Orbes & exotica Sidera luſtrando detegere; quum tamen Medicina non in Subtilitatum ſcrutinio quieſcere, ſed ad Praxin deſcendere, atque operi manum admovere debeat, hanc indagandi libidinem, ſive (ut Galeni *verbis utar)* ἐρωτικὴν μανίαν, *eo moderamine temperari par eſt, nè laſcivientis ingenii luxurie & inſanâ innovandi prurigine, quâ plerique in-ſcantur, Speculationes inanes forſan & inuti-s, eatenus tamen innoxiæ quamdiu in illis bſiſtitur, nec ad Praxin fit progreſſus, periculoſam errorum catenam in ſalutis humanæ per-cie deſituram à tergo trahant: Quod ſi quan-contingat, tum enim vero omnibus Artis*

 filiis

filiis id oneris incumbit, ut ingruenti tempeſtati pro cujuſque modulo obviàm eant & periculo antevertant. Hâc ego conſideratione impulſus, cùm adverterem nonnulla Ampliſſimorum Virorum, Harvæi *ſc* & Gliſſonii, *Theoremata, graviſſimis* Thomæ Willisii, *Medici alioquin longè doctiſſimi, erroribus practicis anſam & umbram præbuiſſe; non potui quaſdam eorum* Opiniones *refellendas non aſſumere, ratus id humani generis intereſſe, quum quò celebrior eſt Medici errantis authoritas, eò funeſtior eſſe debeat ægrotantium calamitas, & certior diſcentium abuſus. Ac profectò ſi unquam laboranti Medicinæ ſuccurrendum fuit, id hâc potiſſimùm tempeſtate factum oportuit, quâ quamplurimi Viri Celebres in convellenda ejus fabrica ruderibúſque complanandis ex profeſſo inſudârunt; cum quibus ut ſociam conjungeret operam Williſius*, in loca devia vaſtámque ſolitudinem nullis calcatam veſtigiis ſibi ipſe dux & comes peregrinatus, *novam cum Fermentationis myſterio indè reportavit Pyretologiam, numeroſis monſtroſarum opinionum portentis refertam, dignam ſanè quæ eò unde advecta eſt ab hominum conſortio denuo remigret; in qua tamen adeò complacuit Authori, ut in ejus* lumine *jam affulgente non acquieſcere, damnatis omnium retrò Seculorum tenebris*, inſignis eſſe pervicaciæ argumentum, *quæque* Viros prudentes & Philoſophiam profeſſos minimè deceat, *affirmare non dubitaverit. Ejus hîc Synopſin exhibere placuit.*

Præf. de Ferm.

Præf. de Febri.

Synopſis Pyretologiæ

VILLISIANÆ.

CAPUT. I.

FEbris Definitionem in tertii Capitis ſummario pollicitus, eam dicit eſſe Motum ſanguinis inordinatum, ejúſque nimiam effervefcentiam, cum calore, ſiti aliiſque præterea ſymptomatis, quibus Oeconomia naturalis variè perturbatur: In primo autem Capite dixerat Febrem eſſe Fermentationem, ſive Effervefcentiam immodicam ſanguini & humoribus inductam; *Humores* verò quos ſanguini in fermentationis ſocietate conjungit, ſunt ſuccus quo cerebrum partéſque nervoſæ irrigantur, chymus ſeu *ſuccus nutritius*, & *latex ſeroſus.* Succum cerebrum partéſqué nervoſas irrigantem ſtatuit *æquabili motu & quâdam circulatione* à ſanguine in nervoſum genus tranſmitti, indéque denuo ad ſinum cruoris refundi, qui ſi labem à ſanguine contrahat, vel in motu pervertatur, author ſit Dolorum, Rigorum, Convulſionum, Delirii, Phrenitidis, & plerorúmque nervoſi generis ſymptomatum. Nutritium ſuc-

Cap. 1. pag. 2.

Ibid.

Cap 3. cum ſeu chymum ſtatuit è quotidiano pa-
pag. 28. bulo ſuppleri, ſanguini miſceri, ab eo inter
29. circulandum ſibi aſſimilari, in humorem
Ibid. perfectum maturari, demum *veteraſcen-*
pag. 29. *tem* in partium nutrimentum abire & ſeponi: quamdiu hæ mutationes ritè obeuntur, ſanguinem inculpatè fermentari; ſin ejuſmodi ſuccus à ſanguine non ritè maturetur, nec aſſimiletur, ſed confuſus & tamquam heterogeneum quiddam in ſanguine maneat, ebullitionem febrilem contingere, non quidem continuò, ſed quando ſanguis illo fuerit ad plenitudinem ſatu-
Ibid. ratus: hunc autem ſuccum non *ſuo*, *nec*
pag. 29. *viſcerum*, *ſed ipſis ſanguinis vitio corrumpi*; ſanguinem enim ſanguificare rectè diſpoſitum; ſin à nativa & genuina indole, in
Ibid. *naturam acrem aut auſteram degeneret* ſucci
pag. 30. nutritii penum pervertere.

Sanguinem componit non ex quatuor Dogmaticorum humoribus, Sanguine ſcil. ſtrictè ſumpto, Pituitâ & utrâque Bile;
Cap. 1. ſed ex *quinque Chymicorum principiis, Spiritu,*
pag. 5. *Sale, Sulphure, Aquâ & Terrâ*: Pituitam autem & utramque Bilem, cùm ſint ſangui-
Cap. 1. nis *recrementa*, *in propriis receptaculis aut*
pag. 4. *viſcerum anguſtiis* concludi, ac ſanguini non miſceri exiſtimat, ideóque nec Febris cauſam eſſe.

Cap. 2. Duplicem in Sanguine ponit Fermenta-
pag. 20. tionem, naturalem unam, morboſam alteram.

teram. Naturalem ex duplici accerſit cauſa: ex ipſius ſcil. Sanguinis craſi, quæ in debita Sulphuris, Salis & Spiritûs proportione conſiſtit; & ex Hogelandico fermento, ſive igne *Carteſiano* in cordis foco recondito, qui ſanguinem eò influentem in momento accendit. Morboſam in principiorum unius aut plurium ametria locat.

Ex morboſa Febrium natales deducit, & pro triplice Fermentationis in ſanguine gradu ſeu modo, triplicem ponit Febrium continuarum differentiam; vel enim ſolum ſpiritum, vel etiam ſulphuream & oleoſam ſubſtantiam fermenteſcere, vel miaſmate venenato ſanguinem infici. Ex primo *Ephemeram* unius aut plurium dierum ſeu Synochum, ex ſecundo *Febres putridas*, ex ultimo Peſtem, Variolas & Morbillos deducit. *Cap. 7. Pag. 65. Ibid.*

Intermiſſionis & ſtatarum periodorum cauſam conſtituit ſucci nutritij à ſanguine malè temperato, illum nec probè maturante, nec aſſimilante, in alienam naturam degenerationem, quo cùm ſanguis abunde fuerit impraegnatus, turgeſcere, fervorem concipere, ac paroxyſmum febrilem excitere eo uſque perſeverantem, donec materia peccans per inſenſilem, aut manifeſtam vacuationem excludatur: neceſſe enim eſſe, ut quod ſanguini fervorem exactè periodicum impertitur, aliquid ſit

quod ſtatâ ſemper & æquabili menſurâ in corpore generetur: quod nihil aliud eſſe poſſit quàm ſuccus nutritius. Non enim eſſe humorem aliquem excrementitium in minera deliteſcentem, qui ſenſim & ſtato tempore ad exaltationem promoveatur, & commotus putreſcat, ac ſanguinem accendat; quod rationibus & experimentis probandum ſuſcipit. Experimenta in loco adducemus: Rationes autem ſunt hujuſmodi. Primò, Quia Sanguis perenni circulationis motu omnia vaſorum diverticula perluit, eorúmque ſordes abluit; ideóque nihil noxium in vaſis remanere poſſit. Secundò, Nec in viſceribus, cùm id fieri non poſſit ſine tumore aut abſceſſu. Tertiò, Non poteſt concipere quo inſtinctu ejuſmodi humores in focis concluſi ſtata putreſcentiæ, abſumptionis & repullulationis habeant tempora. Quartò, Ejuſmodi humores omnino fictitios exiſtimat, quum quales à Dogmaticis finguntur ſinceri in corpore nullatenus inveniri poſſint; atque ità conficit ſuccum nutritium qui ſtatâ quotidie menſurâ in ſanguinis refectionem cedit, ſtatarum eſſe periodorum cauſam.

Diverſitatem autem periodorum propter quam Febres in quotidianas, tertianas & quartanas diſtinguuntur, in ſanguinis ipſius diatheſin acrem, acidam aut auſteram rejicit, cujus merito nutritium ſuccum

cum nunc tardiùs, nunc celeriùs putrefacit.

Hæc eſt præclara illa *Pyretologia Williſiana*, in Sanguinis & Succorum nutritii & nervoſi diſtributione, motu & efferveſcentiis fundata, quam *non in libris, ſed per rationum ſyllogas, in vivis & ſpirantibus exemplis, crebrò ægris aſſidendo, ſingula ſymptomata diligenter obſervando, eáque in exacta diaria referendo*, acquiſivit. Jam ſupereſt ut perpendamus,

Quid dignum tanto ferat hic promiſſor hiatu.

An Febrim rectè definiverit WILLISIUS.

CAPUT II.

UT rectè definiatur Febris, ut & alliud accidens quodcumque, debent aſſignari tum Subjectum ejus, tum Cauſæ afficiens & formalis; ita ut Cauſa formalis ſit loco Differentiæ, Subjectum & Cauſa efficiens loco Generis. At nihil horum aſſecutus eſt *Williſius*, dum Febris Subjectum ponit Sanguinem, Cauſas autem, Motum & Efferveſcentiam ejuſdem. Nam quum Sanitas in actionum integritate conſiſtat, actionum autem ſimilarium integritas à debito partium temperamento ut cauſa efficiente procedat; manifeſtum eſt, debitum par-

partium temperamentum tum cauſam eſſe efficientem actionum rectè ediatum, tum formalem Sanitatis cauſam: at quum Sanitas & Morbus ſint contraria, Sanitas autem, ut dictum, in actionum integritate conſiſtat, neceſſe eſt Morbum in earundem actionum vitio conſiſtere, & à temperamenti partium ametriâ proficiſci, adeóque eandem temperamenti ametriam tum formalem eſſe morbi cauſam, tum efficientem actionum malé editarum: ſimilarium autem partium temperies eſt ipſum calidum innatum: ergò calidum innatum malé diſpoſitum eſt morborum ſimilarium Cauſa formalis, & actionum ſimilarium non rectè editarum Cauſa efficiens. Febris autem eſt morbus ſimilaris: nam quamvis in Febre nonnunquam actiones organicæ lædantur, id tamen non fit primariò, ſed ſecundariò, quatenus ſcilicet ex partium ſimilarium, ex quibus organicæ componuntur, eupragiâ organicarum integritas dependet. Febris igitur Cauſa formalis eſt calidi innati mala temperies, eadémque mala temperies actionum in Febre læſarum eſt Cauſa efficiens: non igitur Sanguis, vel ejus fermentatio aut motus inordinatus. Rurſus, cùm omnes corporis viventis actiones à principio vitæ participe oriantur, Sanguis autem in partium viven-

tium

tium cenſum non debeat admitti, ſequitur Sanguinem, quantumvìs bene diſpoſitum, non rectè flatui actionum corporis viventis Cauſam efficientem; proindéque nec malè diſpoſitum Cauſam actionis vitioſæ, quum tum actionis integræ tum vitioſæ idem ſit principium, licèt non eodem modo diſpoſitum. Jam quum Febris ſit morbus univerſalis omnes corporis functiones lædens, vel erit omnium ſimul partium affectio, vel ejus ſaltem partis quæ eſt ad omnium uſum & conſervationem neceſſaria: hujuſmodi autem partem Cor eſſe apud omnes in confeſſo eſt, & negari non poteſt à quo, mediantibus Sanguine & Spiritu, in univerſum corpus Calor ſeu bene ſeu malè temperatus derivatur.

Sed nec Sanguis poteſt eſſe Subjectum Febris; quia cùm partium temperies, in cujus debita conſtitutione actionum integritas conſiſtit, & conſequenter Sanitas, in partibus ipſis ut ſubjecto hæreat, proculdubio ejus contrarium, Morbus, in iiſdem partibus ut ſubjecto hærere debet.

Libenter ſanè fateor *Williſianam* Efferveſcentiam & Sanguinis motum inordinatum eſſe poſſe, imò ſæpiſſime eſſe, Cauſam Febris mediatam, quatenus Cordis ac partium temperiem immutat, & calorem nativum accendit: quod tamen quia

per-

perpetuum non eſt, imò quia utrumque ſine altero poteſt exiſtere, Febris ſcilicet ſine Sanguinis effervеſcentia, & è contrà, quod de Febre & Cordis temperamento in calorem præternaturalem mutato affirmari non poteſt; conficitur, alterutrum alterius propriam & immediatam Cauſam non eſſe. Quòd autem Febris poſſit eſſe abſque immodica Sanguinis effervеſcentia aut motu inordinato patet in Febre hectica, quæ citra obſervabilem Sanguinis motum aut fervorem partium ſubſtantiam depopulatur. Quòd verò Sanguis citra Febrim ultra modum ferveat, & æſtu mirabili cieatur, luculentam faciunt fidem Scorbutus, Rheumatiſmus, multi morbi cutanei, narium & hæmorrhoïdum fluxus ſanguinolentus, ac profluvium menſtruum. In Rheumatiſmo tantus eſt ac tam inordinatus Sanguinis motus, plerumque ſine Febre, ut impetu præcipiti ab uno membro ad aliud rapiatur, & cruciatus intolerabiles excitet; ac tanta corruptela, ut ſectâ venâ (quam operationem ad Sanguinis ardorem extinguendum ſæpiſſime repeti oportet) nullam Sanguinis ideam, ſed ichoroſam putrilaginem incendio ſuperſtitem exhibeat. In Scorbuto (ut plurimùm etiam ſine Febre) ſæpenumero tam effrænis eſt Sanguinis orgaſmus & calor efferus, ut cutis & vaſa ſanguinem

nem torrentis inſtar ſponte nonnunquam effundant, non aliter quàm ex vena ſcalpello diviſa; quod in multis me vidiſſe poſſum verè affirmare: Sed notiſſima eſt hiſtoria D. *Thomæ Balman* Civis *Briſtolienſis*, quam etiam ego, dum adhuc recens eſſet, perſcripſi ad Excellentiſſimum D. D. *Theodorum Mayernnm*, Medicum Regiem, tum in vivis. Huic per integrum biennium tam manifeſta fuit arteriarum cuti vicinarum pulſatio, motûs humorum inordinati index, ut cutis elevationem oculis è longinquo facilè perceptibilem exhiberet, adeóque Sanguinis æſtum incredibilem teſtaretur. Ex gingivis autem copioſè ac ferè continuò ſanguis ſtillabat: nec ex gingivis tantùm, ſed nonnunquam ex temporum, brachiorum, crurum & femorum venis, ſine phlebotomi opera, cum impetu erumpebat; quamvis interim ad motum ſanguinis compeſcendum, ejúſque fervorem cicurandum, multiplex phlebotomia, catharſis, alterantia, topica, & revulſionum omne genus adminiſtrarentur. Tandem *Auguſti* decimaquartâ anni 1654. ex gingiva dextra tantâ ferociâ ſanguis erupit, ut nullo ingenio potuerit cohiberi donec ſyncope corriperetur, adeóque unius noctis æſtivæ ſpatio ſupra ſexaginta uncias excrevit; quam profuſam hæmorrahagiam confeſtim ſequutus

eſt

eſt Hydrops, quo ſub hyemis initium obiit. Hîc inſignem fuiſſe Sanguinis fermentationem, inordinatum motum & immodicam efferveſcentiam non diffitebitur, ut arbitror, *Williſius*, nec tamen febricitabat; nam appetitu erat ut plurimùm laudabili, dormiebat, & munia domeſtica & forenſia ſemper erectus obibat, priuſquam incidit in Hydropem. Non negabit *Williſius* multos narium & hæmorrhoidum fluxu è vivis ſublatos, non vi Febris, cujus ſunt omnino expertes, ſed ſpirituum & alimenti inopiâ; in quibus quid cauſabitur præter inemendabilem Sanguinis fervorem & acrimoniam? Fatebitur multas fœminas pertinace ac diuturno menſium profluvio confici ac tabeſcere; quod ſeroſæ ſanguinis acrimoniæ, fervori & motui inordinato, ni fallor, feret acceptum. Ego hujus rei teſtes producere poſſum tum multas alias, tum præſertim Civis cujuſdam *Briſtolienſis* Conjugem, cui à multis annis ſanguis continuò ferè fluebat in magna copia, vel ab utero, vel ex naribus, vel per utrumque ſimul locum, etiam dum utero gereret, donec frequente ſanguinis detractione ejus fervor fuiſſet extinctus; nec tamen unquam febricitabat, nam curis domeſticis ſemper vacabat, & quotannis fœtus valentes & vegetos enitebatur. Sanguis ex brachio huic, ut & prædicto D. *Balman*, iterató

ratò detractus putris ſemper & aduſtus apparebat; quod in ſcabie, pſorâ, leprâ & pleriſque diuturnis cutaneis affectibus contingit, certo fermentationis & fervoris prægreſſi indicio, qui tamen rarò Febrim habent comitem: ut omnino certum ſit, Febris eſſentiam non in Sanguinis ſed partium dyſcraſiâ conſiſtere; licèt æquè certum ſit Sanguinis dyſcraſiam partium temperiei evertendæ ſæpiſſime occaſionem præbere; adeóque *Williſium* pro morbo, morbificam cauſam, eámque nec proximam nec perpetuam, adduxiſſe.

Ex alio item Capite vitioſa convincitur *Williſiana* Febris Definitio, quæ omnes Febris ſpecies non complectitur, Febrim ſc. hecticam, quæ non in Sanguinis fervore, aut motu inordinato, ſed in habituali partium ſolidarum dyſcraſiâ conſiſtit; quod etiam *Williſius* tacitè concedit, qui ejus non meminit dum Febris ſpecies ex triplice Fermentationis modo oriundas enumerat. Quàm autem vitioſum ſit Definitum ejúſque Definitionem non eſſe convertibilia, aut unum altero latiùs patere, potuit ex Logica meminiſſe.

Reſpondebitur fortaſſe pro *Williſio*, illum non accuratam Febris Definitionem, ſed ejus tantùm Deſcriptionem, Febris naturam utcumque exprimentem, tradere voluiſſe, eáque propter eum con-
ſcium

ſcium quàm imperfectè Febrim definiviſſet, eam Deſcriptionem, non Definitionem in tertio Capite nominâſſe, licèt in ejuſdem Capitis ſummario Febris Definitionem fuerit pollicitus. Atqui profectò talem Deſcriptionem debuit exhibere, quæ partem ſaltem affectam explicaret, ſine cujus cognitione fruſtrà ſe Medicus ad curam accinxerit, in quam, ut finem primariò intentum, collimare debet, nè Andabatarum more cæcis ictibus cum hoſte non agnito confligat. Præterea, cùm Veterum de Febre Doctrinam evertere, aliámque aſtruere apertè profiteatur, novæ certè Doctrinæ accuratam & omnibus numeris abſolutam ἐπίδειξιν, quæ abſque Definitione haberi non poteſt, proponere debuit; vel Veteris Doctrinæ aſſeclas *inſignis pervicaciæ*, quæque *viros prudentes & philoſophiam profeſſos minimè deceat*, non inſimulare.

Succorum Nervoſi & Nutritii Doctrina rejicitur, contra Williſium & Gliſſonium.

CAPUT II.

FErunt Philoſophorum quempiam, cùm ſacroſanctam Hebræi Legiſlatoris

ris hiſtoriam de Mundi Creatione legerit, dixiſſe, *Hic vir multa dicit, ſed nihil probat.* Hoc impium Ethnici Philoſophi in ſacrum Legiſlatorem ſcomma non malè in *Williſium* quadare mihi videtur, qui Sanguinis facultatem αἱματοποιητικὴν, Succum nervoſum, nutritium, aliáque portenta in Medicinam invehere abſque ulla vel minima probationis umbra aggreditur, illíſque novæ quam parturit Medicinæ chimæricam ſuperſtruit fabricam. Hanc doctrinam videtur mutuâſſe à *Franciſco Gliſſonio*, publico *Cantabrigiæ* Profeſſore, & Collegii *Londinenſis* Socio, cui tamen in omnibus non aſſentitur, verùm diſſenſûs rationem non explicat. *Gliſſonius*, Libri de anatomia Hepatis Cap. 45. *duplicem* ponit *Succum nutritium*, quorum alter *per lacteas thoracicas in ſubclaviam, indéque in venam cavam ſanguini confundendus, tandémque in parenchymatum ſanguineorum nutrimentum abſumendus pergat*; alter *per ſexti Paris ramum ſtomachicum ad Cerebrum & ſpinalem medullam, indè in partium ſpermaticarum nutrimentum derivandus feratur*: *cui uſui ut meliùs inſerviat, non oportuiſſe illum ſanguini miſceri aſperâ ejus & ſcabroſâ conditione imbuendum, ſed aliò divertere in mitiorem & ſuaviorem conſtitutionem convertendum. Williſius* priorem *in ſanguinem mutari, cum eo*

circu-

circulari, in eo tamdiu manere dum veteraſcat, tandémque in partium nutrimentum abire & ſeponi exiſtimat? ſed quas nutriat partes, ſanguineas an ſpermaticas, parùm penſi habere videtur: Poſterioris nullum uſum aſſignat, niſi ut *cerebrum & partes nervoſas irriget, & cum ſanguine circulandus per vaſa lymphatica in ſinum cruoris refundatur*; quo in motu ſi *pervertatur, Dolores, Convulſiones, Phrenitides, & reliqua nervoſi generis ſymptomata accerſere* contendit. Ubi inprimis advertendum, Succum hunc nutritium ſanguini è quotidiano pabulo advenientem à *Williſio* non *chylum*, ſed *chymum* paſſim appellari, nè ſc. non ſolùm veterem Medicinam pesſundediſſe, ſed & Græcos terminos, contra omnium Græcorum ſenſum, correxiſſe videretur. Sed fruſtrá: quamvis enim tum χυλὸς tum χυμὸς Succum quemlibet ſignificare poſſit; cùm tamen *Hippocrates* in mille locis per χυλὸν ſimpliciter Ptiſſanæ ſuccum expreſſum intelligat, factum eſt ut Græci ejus poſteri eundem ad lacteum ſuccum ex alimentis in ventriculo genitum, & ſucco ptiſſanæ ſimillimum, exprimendum eleganti metaphorâ tranſtulerint & reſtrinxerint; reliquos autem humores, tum corpori alendo idoneos, tum incommodos, τῶν χυμῶν vocabulo intelligendos reliquerint; quibus cur nomina ad libi-

libitum rebus imponere non licuerit, dicat, ſi poteſt; *Williſius*, ac præterea rationem reddat cur nutriendis partibus nullum concedit alimentum niſi veteraſcens & effœtum. Cui fini *Succum* illum *nervoſum* Sanguini miſcet & remiſcet? an non ab eo aſperitatem & ſcabritiem contraheret partibus nutriendis inidoneam, cui periculo avertendo *Gliſſonius* tantâ induſtriâ tam mirabilem excogitavit ſemitam? Vel ſi partes nutrire non debet, cur ejus alium non aſſignat uſum? Ideóne ſolùm à natura inſtitutus eſt iſte Succus, ut ſi quando in motu pervertatur, corpora noſtra vel dolore crucientur, vel ſpaſmo torqueantur, vel reliquis nervoſi generis nocumentis affligantur? Verùm dimiſſo parumper *Williſio*, in Succum hunc nervoſum paulò diligentiùs inquiramus, & cum aſſertore ejus *Gliſſonio* congrediamur.

Exiſtimat *Gliſſionius* pleraſque corporis humani partes, præſertim *ſpermaticas*, *Sanguine nutriri non poſſe*, quas cùm propter juge ſubſtantiæ diſpendium reſarciri oporteat, nulláque præter Succi nervoſi ad illas appulſum reſarciendi ratio appareat, indè eas refici ſit neceſſe. Cujus rationes quantum concludant, videamus.

Primò objicit, Omne nutritum nutrimento ſibi ſimili nutritur: At Sanguis non eſt ſimilis partibus ſpermaticis, Oculi ſplendidi ſunt, Sanguis opacus; imò illis nocet, ſiquidem oculi ſanguine ſuffuſi rerum omnium conſpectum amittunt, &, cùm ſit

opacus, ſpeciebus viſibilibus recipiendis inhabiles redduntur: Cerebro item nimiâ ſanguinis copiâ inundato, rerum omnium ideæ in mente obliterantur.

Reſpondeo, Inter nutriendum & nutriens non actualem ſemper & omnimodam ſimilitudinem intercedere, ſed potentialem ſufficere, id eſt, talem quæ à facultatibus Nutrici inſervientibus in actum reduci poſſit: Nutrici autem præter alias inſerviunt Concoctrix & Expultrix. Concoctricis operâ qualitates minùs amicæ alterantur & familiares redduntur: Expultrix inutilia & concoctioni inepta ſecernit. Ità triticum, legumina, plantæ, licèt corpori noſtro colore, conſiſtentiâ, multíſque aliis qualitatibus diſſimilia, multiplici tamen præparatione & præviis alterationibus, nec non ſecretione noxiorum & inutilium, in alimentum corpori familiare & ſimile tandem faceſſunt. Ità Sanguis opacus, & diverſi à ſpeciebus opticis coloris, multis tamen alterationibus in materiam iiſdem ſpiritibus generandis idoneam tranſit, omni opacitate depoſitâ: Si verò caſu, vel ipſius ſanguinis aut partis vitio, confertim & nimiâ copiâ vel ante præparationem debitam in oculorum tunicas vel nervos, aut in cerebri ventriculos irruat, eóſque obſtruat, quid mirum ſi in oculis cæcitatem, in cerebro phantaſmatum obliterationem producat?

Objicit ſecundò, Modum nutritionis eſſe progreſſum alimenti à cruditate ad coctionem,

nem, non è contrá: At Sanguinem partibus eſſe magìs coctum; Quod probat, quia eſt calidior, ſpirituoſior, & volatilitati propinquior; partes autem fixæ minúſque ſpirituoſæ; Ergò minùs coctæ.

Reſpondeo negando Minorem. Ad cujus probationem dico, Concoctionem non in intenſiore gradu caloris, ſed rei concoquendæ magìs debito ac idoneo conſiſtere, multáque à caloris gradu majore ad remiſſiorem ejuſdem gradum per ulteriorem coctionem procedere: ità allia, cæpe, naſturtium, & multa ejus generis, ut & vina potentiora, elixatione multos caloris gradus amittunt, quæ tamen minùs cocta nemo dixerit; ità aquæ ardentes ignitione miteſcunt; ità ſanguis, qui in arteriis calidior eſt ut ſic, quàm ut proportionatum partibus alimentum præbeat, ulteriore concoctione, ſpirituúmque & calidiorum exhalationum expiratione temperatus, iiſdem nutriendis opportunus evadit; ità denique ſanguis vi Febris accenſus dicitur crudus, qui deinde à pepaſmo deferveſcens & temperatior factus nihilo ſecius concoctus dicitur.

Objicit tertiò *Gliſſonius*, Sanguinis aſperam & ſcabram ſubſtantiam partium ſolidarum, quæ mites ſunt & lenes, nutritioni ineptam eſſe; ſibíque reſpondet, Sanguinem eſſe quiddam heterogeneum & conſtans diverſæ naturæ partibus, quarum aliæ ſint aſperæ & volatilitati propinquiores, aliæ novitiæ, mites, & à chyli natura minùs re-

cedentes, ideóque partium ſpermaticarum ſubſtantiæ refarciendæ magìs idoneæ. Quod Reſponſum à ſe profectum ferociter impugnat, & fingit adverſarium fateri ſuccum nutritium tantò eſſe præſtantiorem quantò magìs ad chyli naturam accedit, tacitéque ſolùm innuere, illum priùs debere ſanguini miſceri: tum ſubſumit, *Quorſum igitur cum ſanguine miſcetur*, quum per ejuſmodi mixtionem à chyli natura magìs recedat, ab eóque demum ſit ſeparandus, priuſquam alere poſſit? tum ludibundus interrogat, An credibile ſit *Naturam, nè otio torpeat, aliquid facere quod denuo infectum velit.*

Verùm enimvero Hydram quam ipſe finxeris levi negotio debellaveris; nam profectò nullus ſanæ mentis adverſarius aliquam ejuſmodi ſcabritiem in ſanguine conceſſerit, nec ſuccum nutritium eò eſſe præſtantiorem quò minùs à chyli natura receſſerit; imò reponet ſagacem Naturam conſultò ſucci in partium nutrimentum abituri iter tot diverticulis & ambagibus in lactearum meſentericarum amfractuoſis Mæandris implicuiſſe, tam multiplicibus ſecerniculis, cùm privatis ſingulorum organorum, tum publicis univerſi corporis inſtruxiſſe, quò elaboratior, defæcatior, & à chyli natura remotior ad partes appelleret: fatebitur tamen maſſam Sanguinis, licèt ad ſenſum ſit quiddam homogeneum, reverâ tamen conſtare, & conſtare debuiſſe, diverſæ conditionis partibus, ut multi-

pli-

plicis naturæ organis commune præberet alimentum, unde ſingulæ partes quod ſibi magis eſſet proprium & familiare prolicere poſſint.

Objicit quartò, A ratione alienum eſſe, ut illud quod paſcitur in paſtum cedat illiſmet partibus quas devorat: Sanguinem autem partes devorare: Ergò illis in paſtum non cedere. Minorem probat, ex eo quòd Calor vitalis partes in diuturna fame devorat & abſumit: Calorem autem vitalem in ſanguine originaliter tamquam in ſubjecto hoſpitari: quicquid igitur Calori attribuitur, Sanguini attribuendum eſſe. Similiter in Febre partes abſumuntur, Sanguine non abſumpto, adeò ut bis, ter, vel etiam pluries phlebotomiam celebrari ſit neceſſe, licèt, potu excepto, æger nihil quo reficiatur, admittat; ſigno manifeſto partium ſpoliis augeri Sanguinem.

Reſpondeo negando Minorem. Ad cujus probationem dico, Calorem vitalem (quo nomine calorem inſitum ſive innatum debet intelligere) non in Sanguine, ſed in partium ſolidarum humido primigenio tamquam ſubjecto inhærere; nec eum partes devorare poſſe, cùm ſit ipſarummet partium primigenia temperies. Partes autem devaſtantur non à Calore nativo vel Sanguine, ſed à Calore febrili in ipſis partibus accenſo: non ſolæ autem partes, ſed & Sanguis in Febre accenditur, ex qua febrili incaleſcentia Sanguis in naturam nutriendis

partibus inidoneam tranſit, quapropter à partibus non attrahitur, nec fit inſignis ejus jactura: proindéque atque etiam ratione plenitudinis in Febrium initiis pluries educi poſtulat, ut materiâ exhauſtâ incendium deflagret; in progreſſu autem Febris, tum ipſe Sanguis tum partium humiditas exhauriuntur, ut parùm alterutrius in moribundis ſuperſit. In fame verò diuturna nativus Calor expirat, propter defectum pabuli abſumpto partium humido primigenio, cujus humiditatis diſpendia à Sanguine reſarciuntur, quamdiu aliquid pinguis & oleoſæ ſubſtantiæ ſuperſtes habet. Quæ inſuper addit de Sanguine helluone, de eodem comedone & cibo, prædatore & præda, de agni & lupi parabola, reſponſum non merentur.

Objicit quintò, Partium alimentum debet eſſe ſimile ſubſtantiæ ex qua ab initio conſtiterunt, iiſdem enim nutrimur quibus & conſtamus, nec ex quolibet ligno fit Mercurius: At ejuſmodi ſubſtantia non eſt Sanguis, ſed ſuccus liquidus à ſanguine multùm diverſus tum colore tum conſiſtentiâ, aliiſque præterea qualitatibus, nempe Semen in Viviparis, eíque analogum Albumen in Ovis.

Jam reſponſum eſt, actualem ſimilitudinem non requiri inter nutriendum & nutriens, ſed ſufficere potentialem, proindéque Sanguinem, licèt materiæ ſeminali ex qua fœtus in utero formatur colore & conſiſtentiâ diſſimilem, ſi tamen ulteriore ſubactione & inutilium ſecretione ſimilis evadat, fœtui in-

inpoſterum nutriendo idoneum fieri : nec propterea ex quolibet ligno Mercurium conflari aſſerimus, dum ſimilitudinem potentialem quidem, non tamen valde remotam, ſufficere concedimus.

Ad Comparationem inter Ovum & Embryonem dico, In ovo concrementum album ſive albumen reſpondere materiæ ſpermaticæ in embryone, & ovi vitellum ſanguini materno: eâdémque ratione quâ ſanguis maternus in fœtu virtutis plaſticæ operâ ex diſſimili ſimilis fit, & in partium ſeminalium nutrimentum pariter & incrementum convertitur, útque albumen ovi in partium ſeminalium Alitis alimentum & incrementum tranſit; ità in avicula excluſa & fœtu adulto alimenta communia primò in ſanguinem, mox etiam in materiam ſemini & ſeminalibus partibus analogam virtutis concoctricis operâ elaborari: nec tantam eſſe diſſimilitudinem inter ſemen & ſanguinem, quantam imaginatur *Gliſſonius*, qui externæ ſimilitudini, colori ſcil. & conſiſtentiæ, nimis fortè attentus, internæ ſimilitudinis in qualitatibus ſymbolis & multiplicium in ſingulis coctionum officinis alterationum non meminit.

Objicit ſextò, Membra reſoluta in paralyſi marceſcere & atrophiâ laborare, non propter defectum Sanguinis, cujus abundè ſit in corpore, nulláque ſit venarum aut arteriarum obſtructio; imò primis diebus propter nimiam ſanguinis affluentiam pars laborans tumeſcit: Ergò atrophia contingit defectu ſucci

nervoſi propter nervorum obſtructionem. Quo argumento ſimiliter probat nervos eſſe vaſa ſuccum aliquem deferentia, licèt non videatur in illis manifeſta cavitas.

Hoc argumentum omninò difficultate non caret. *Riverius* cum Practicantium vulgo ait id contingere, quia propter ſpirituum animalium interceptionem calor nativus languet & effœtus evadit: quam rationem veram eſſe conficit ſpadonum marcor poſt teſtes exectos, qui cùm toti ſit corpori communis, non penuriæ nutrimenti, quod nullum à teſtibus toti miniſtratur, ſed ſpirituum animalium defectui attribui poteſt, qui abundanter, à teſtibus in totum derivantur. Verùm aliter & nervoſè ex acutiſſimo *Cæſalpino* 2 Quæſt. Medicar. Cap. 13. reſpponderi poteſt, id contingere propter amiſſum ſenſum tactûs in parte marceſcente: Cùm enim nutritio non fiat niſi concurrat attractio alimenti & expulſio recrementorum, neutrum autem citra ſenſum tactûs fieri poſſit; Natura enim non attraheret, niſi alimentum familiare eſſe ſentiret, neque aliena expelleret, niſi ab illis irritaretur; manifeſtum eſt partes debere marceſcere, ſi nervi ſenſum tactûs deferentes obſtruantur. Unde, referente eodem *Cæſalpino*, concludit *Ariſtoteles*, 3. de Anima, text. 67. neceſſarium eſſe animalia ſolo ſenſu tactûs privata mori: atque hinc eſt quòd provida Natura viſcerum parenchymata & carnem innumeris nervorum ſurculis inſtruxit, quum tamen motûs & ſenſûs non

ſint

ſint organa, tum ut alimentum attraherent, tum ut nocitura expellerent. Quod de tumore partium reſolutarum in paralyſi incipiente aſſerit, non Sanguinis, ſed Seri vel Pituitæ à Cerebro deſcendentis acceſſum probat.

Objicit ſeptimò, Emplaſtra cephalica calida & ſicca in Phthiſi convenire, non ſolùm quia fluxiones ſiſtunt, ſed quia nutritionem promovent: quod tamen gratìs & ſine fundamento aſſerit, niſi intelligat Cerebrum ab illis exiccatum meliùs concoquere, & minorem Excrementorum proventum facere; quod quidem verum eſt, ſed tamen ad quæſtionem non facit,

Objicit octavò, Macilentos ſanguine abundare, nervis autem præditos humidis, apertis & ſpongioſis facilè pingueſcere. Solutio facilis eſt, Macilentos ſanguine abundare fervidiore, ideóque continuis vaporum effluviis eſſe obnoxios: contrà, carne ſpongioſâ & flaccidâ præditos ab immoderatis effluviis eſſe immunes, quia frigidiores, unde corpus in molem attollitur. Præterea Cerebri ſunt frigidioris & multa excrementa cumulantis; unde flacceſcunt, & ſpongioſi ac tumidi evadunt; quo habitu præditi molles ſunt, inertes, & exercitii impatientes: quod à laudabilis nutrimenti copia proficiſci non eſt probabile.

Objicit nonò, Roſcidum humorem ex nervoſarum partium vulneribus extillare, ex oſſium fracturis viſcoſum humorem exudare, ruptis oſſibus ferruminandis utilem; qui,

cùm ſint ſeminali materiæ analogi, per venas aut arterias deferri non poſſunt: veriſimile igitur eſſe illos per nervos depluere. Præterea, in ſcrophuloſis tumoribus materiam candicantem conſpici, & nonnunquam veluti ova membranoſo involucro incluſa, quæ ad formationem quandam animalis, licèt imperfectam, tendunt, imò in vermiculum aut aliud monſtri genus deſinunt; quæ non à Sanguine, ſed ab alia quapiam mitiore & ſuaviore materia proficiſci poſſe *Gliſſonius* exiſtimat. Denique, carneas excreſcentias in fonticulorum labris & dentium cavis luxuriantes à Sanguine proficiſci non autumat *Gliſſonius*, cùm ſenſus ſint exquiſitiſſimi; proptereáque vel à nervis oriri, vel illis multum eſſe cum nervis commercii.

Reſp. Omnia illa proficiſci à Sanguine per arterias vel venas ad partes affectas delato, ſed à Sanguine vitioſo & partes vitiante, quæ partes debilitatæ aſſimilationem imperfectam faciunt, aliquo tamen modo partium ipſarum ſubſtantiæ analogam. Non enim negamus, imò hoc eſt quod concedimus, Sanguinem etiam in materiam ſeminalem, imò in ſemen converti, ſi ad organum ſemini conficiendo deſtinatum appellat. Quod autem ex partium nervoſarum vulneribus extillat roſcidum, vel ex oſſium fracturis exudat viſcoſum, ipſum eſt partium alimentum ſemicoctum quod effluit retentricis vitio à vulnere vel fractura debilitatæ, & alimentum ad juſtum perfectæ aſſimilationis tempus retinere nequeuntis.

untis. Quod candicans in ſcrophulis obſervatur, Sanguis eſt pituitoſus in cerebro, vel ejus membranis hæreditariâ à ſemine vel aſcititiâ idioſyncraſiâ malè conſtitutis, in materiam craſſam & malignè putridam, ſed partibus unde emanat quadantenus ſimilem, converſus; quæ materia per venas, arterias, oſſium & perioſteorum interſtitia, carnis poros, imò, ſi lubet, & nervos delata, partis in quam decumbit indole in eum cujus eſt capax maturationis gradum perductâ, in maſſam albumineam, vel carneam, vel vermiculum convertitur: Natura enim ex putri materia tum in corpore humano, tum etiam alibi, libentiùs animal quàm quodcumque inanimum, utpote præſtantius, producit. Hi tamen ſucci, quamvìs candidi & materiæ ſeminali non abſimiles, non video cur à *Gliſſonio* mites vocitentur, cùm carnem exulcerent, oſſaque ipſa corrumpant & putrilagine mortificent: Nec cur carneas excreſcentias in vulneribus partium nervoſarum, in fonticulorum labris dentiúmque cavis ſucco ſeminali per nervos delato adſcribat, cùm carnea parenchymata, & univerſim quamcumque carnem, ſanguinis eſſe affuſiones coagulatas paulò antea conceſſerit: in quibus quid mirum eſt ſi ſenſus ſit exquiſitus, cùm in carne legitima plurimi ſint ubique nervorum ſurculi; in excreſcentiis etiam eorundem nervorum productiones reperiantur? Tandem quamvìs libenter concedamùs humores peccantes præter Naturæ inſtitutum in nervos quandoque irrumpere;

indè tamen concluſum nolumus, Naturam providam, quæ aliis omnibus ſuccis conſpicuos & patentes ductus largita eſt, tam nobili ac tanti momenti ſucco, qualis eſt nutritius, quíque tam copioſus eſſe debet, ut indè omnium corporis partium diſpendium refundi poſſit, cæcos tantùm & inaſpectabiles meatus deſtinâſſe.

Nutritionis inæqualitatem in Rachitide (ità Morbum puerilem *Angliæ* familiarem appellat) non, ut *Gliſſonius*, in nervorum quorundam ad nutritionem præ aliis ineptitudine, ſed in earundem obſtructione collocamus, cujus merito partibus quibuſdam marcor ſupervenit propter ablatum tactûs ſenſum, ſine quo nec alimentum attrahere, nec recrementa expellere, proptereáque nec nutriri poſſunt, ut in Argumenti ſexti ſolutione dictum eſt. An verò (ut ait *Gliſſonius*) Rachitidis ſedes ſit in medulla ſpinali, quæſtio eſt alterius loci.

Quod ultimò dicit, parùm aut nihil ſanguinis ad teſtes tranſmitti, eſt contra αὐτοψίαν, quum copioſæ arteriæ & venæ eò ferantur: imò & experientiam, quum compertum ſit ſalaciores & nimiâ Venere utentes, poſt exhauſtum ſemen, ſanguinem in coitu ejaculatos fuiſſe. Multò tamen plures nervos eò ferri fatemur, non ut nutrimentum, ſed ut uberem ſpirituum animalium copiam illis impertiantur, quorum nimiam profuſionem ſequitur mœſtitia à coitu, & Cerebri debilitas, intemperieſque frigida totius.

An

An Sanguis ſanguificet: contra Harvæum.

CAPUT IV.

JAM Succi nervoſi figmento ſatìs, ut arbitor, diſcuſſo, ad *Williſium* denuo revertamur, & ſciſcitemur cur hæmatoſeos munus ipſi Sanguini attribuat. Verùm ille, ut video, pleraque quæ obtrudit paradoxa ſupponere mavult quàm probare; quæ nobis eâdem quâ obtruduntur facilitate liceret rejicere, niſi *Guilielmi Harvæi* obſtaret authoritas,in qua plerique veteris Medicinæ demolitores ἀνεξετάστως καὶ ἀβασανίστως acquieſcunt: Cujus idcirco mirabilem de Sanguine Diſcurſum cum noſtris in illum animadverſionibus hîc exhibere operæ pretium exiſtimo, ut quid nudæ illius aſſertioni tribuendum ſit, æquus Lector judicet. Ipſum audiamus.

Harvæus de Gener. anim. Exerc. 51. p. * 202. *Si Sanguis ſecundùm totam ejus ſubſtantiam, prout in Venis ſe habet, conſideretur, nil vetat quò minùs alimentum in ſe convertere & concoquere, partibúſque apponere dicamus; eandémque rem ità ſumptam tum alere tum ali, tum materiam etiam corporis & efficientem cauſam eſſe.*

* *Edit. Amſtelodam.*

Animadverſio. Quomodocumque Sanguis conſideretur, quum non ſit pars Corporis organica, chylum certè nec poterit concoquere,

re, nec in ſanguinem convertere, proindéque nec ſibi aſſimilare: non enim poteſt fieri laudabilis chyli concoctio citra impuritatum quæ in eo plurimæ inſunt excluſionem, quod Sanguis neutiquam efficere poteſt, quum vaſis huic muneri peculiariter deſtinatis ſit deſtitutus: recrementa autem à chylo in ſanguïficatione ſecernenda ſunt, Bilis & Melancholia, quibus alliciendis & expellendis ex Naturæ inſtituto inſerviunt Veſica fellea & Lien, quæ, cùm nihil agat fruſtrà, organa tanti momenti non conſtruxiſſet, ſi id muneris à Sanguine ipſo fieri potuiſſet. Si dicatur chyli impuritates poſt aliquot inter circulandum circuitus in Veſiculam felleam Lienémque deponi: Ego repono, contra Naturæ providentiam eſſe, chyli impuritatibus ſanguinem in ſpiritus vitales & animales iturum inquinare, quas in promptu ſit eliminare priuſquam in cordis thalamos ferantur.

Sed nec Sanguis alimentum partibus apponere poteſt: nam quum chylus ab *Harvæo* ſupponatur ſanguini aſſimilari priuſquam partibus apponi poſſit, ac ſanguis genitus ejuſdem ſit rationis cum eo qui genuit, cúmque illo confuſus, tum vel una pars aliam apponet, vel unaquæque ſeipſam; quorum neutrum dici poteſt. Non primum; quia non eſt major ratio cur illa hanc, quàm hæc illam apponat. Non ſecundum; quia cùm nutrimentum in nutriti ſubſtantiam tranſire debeat, ídque fieri non poſſit ſine ſubſtantiali nutrimenti mutatione & formæ ejus corrup-

ruptione, non poteſt fieri ut ulla pars ſanguinis ſeipſam partibus nutriendis apponat, quum nihil ſui ipſius interitum appetat vel cauſet. Præterea, ſi in partium nutritione & alimenti appoſitione Sanguis haberet rationem agentis, procuIdubio partes potiùs aſſimilarentur ſanguini quàm ſanguis partibus, quum quodlibet agens naturale qualitates ſuas in patiente producere, ídque ſibi quantum poteſt ſimile efficere, ſoleat.

Concedimus quidem ſanguinem corpus nutrire: id tamen intelligendum non eſt activè & efficienter, ſed paſſivè & materialiter, quatenus paſſivâm habet aptitudinem, ac diſpoſitiones partium temperamento ſymbolas, quarum ratione, ſed ipſarum partium nutriendarum virtute, apponitur & aſſimilatur. Quòd verò eadem Cauſa ejuſdem Effectûs poſſit eſſe Materia & Efficiens, in Philoſophia hactenus inauditum eſt.

Harvæus, in eadem Exercit. 51. p. 197. *Neque hìc diſputandum cenſeo, utrùm partis Definitio Sanguini propriè conveniat.*

Animadverſio. Ad quid ergò duas Exercitationes prolixas contexuit, ut probaret Sanguinem non ſolùm eſſe partem corporis, ſed primogenitam & principalem? aut ubi hanc controverſiam magìs appoſitè tractandam cenſet? Sanguinem autem non eſſe partem propriè dictam, conſtat ex Partis Definitione ab omnibus Medicis recepta, quum non ſit pars toti cohærens; quam Definitionem vel admittere debet *Harvæus*, vel me-

meliorem ſaltem aſſignare; quod nondum aggreſſus eſt.

Harvæus, Exerc. eâdem, p. 195. *Quinimmo ex vario ipſius (ſanguinis) motu in celeritate, aut tarditate, vehementiâ aut debilitate, &c. eum & irritantis injuriam & foventis commodum perſentiſcere manifeſtum eſt; ideóque concludimus Sanguinem per ſe vivere & nutriri, nullóque modo ab alia aliqua corporis parte priore vel præſtantiore pendere.*

Animadverſio. Sanguis ad quamlibet corporis partem injuriâ aliquâ graviore laceſſitam accurrit, non propriâ vi, ſed facultatis corpus regentis imperio, ſpiritu vitali impellente, & ſeroſo humore vehente; ut illato vulnere ad partes læſas, in paroxyſmo febrili ad viſcera & Cor acribus aut venenatis humoribus ſtimulata, in paſſionibus Animi ad facultatis iraſcibilis & concupiſcibilis ſedes: unde bene ſequitur Corpus ſentire & vivere, non autem Sanguinem: in paſſionibus enim Animi in quibus ſanguinis accurſus & recurſus maximè eſt conſpicuus, quid commodi aut incommodi ſanguinem ſentire credibile eſt? Ad voluntatis item imperium hoſti vel occurrentis vel eundem fugientis, ſi moveatur, motum ſibi intrinſecum non arguit; ſicuti nec quando à calore attrahitur, vel frigus aut aliam quamlibet qualitatem moleſtam retrocedendo fugit: quod provenit à pugna contrariarum qualitatum, vel amicarum proſecutione; quorum exempla in inanimis ſunt obvia; ut in fuga plumbi ex fuſione candentis à frigi-

dâ,

dâ, in antiperiſtaſi, fermentatione, antipathiâ & ſympathiâ; ut in magnete ferrum, heliotropio Solem-ſequente, quæ tamen ideo movere vel ſentire non dicuntur. Malè igitur *Harvæus* motum animalem cum naturali & violento confundit.

Sanguinem item, cùm à ſe non poſſit generari, ſemper autem generetur, ab aliqua certè corporis parte in generatione pendere manifeſtum eſt, partémque unde ità dependet illo eſſe priorem. Nec obſtat quòd, ut ait *Harvæus*, *in pulli fabrica ante reliquum corpus ſanguis exiſtere videatur*; (quod damus, non concedimus, quum, ipſo *Harvæo* teſte, Exercit. 55. *veſicula pulſans ſeu macula alba, cum quibuſdam circulis albis*, quæ proculdubio ſunt partium lineamenta, *ante punctum rubrum appareat*) nam non ſolùm ſanguis iſte, ſed & reliquæ partes in ovo ex albumine & vitello, in fœtu viviparo ex parentum ſemine formantur, à plaſtica facultate vel vi formatrice, quæcumque tandem illa ſit, ſive matris anima, ſive ipſius fœtûs, ſeu facultas uteri, ſeu vis plaſtica ipſius ſeminis. Nulla autem pulli aut fœtûs pars aliam ex compartibus efficit. At in formato jam & edito fœtu, quum partes à Cunis ad extremum uſque ſpiritum, imò longè pòſt, exiſtant, & nunquam iterum generentur, ſed tantùm nutriantur, (ſi dentes exceperis) ſanguis verò in perpetuo fluxu ſit, & identidem in partium alimentum faceſſat, ac perpetuâ generatione opus habeat, nec à ſeipſo, ut dictum eſt, poſſit generari; reſtat

ſtat ut ab aliqua partium generetur, & ab illa dependeat.

Harvæus ibidem pag. 190. *An verò totum corpus ab illo* (Sanguine) *pendeat, cui illud pòſt genitum, adjunctum & quaſi adnaſcendo appenſum cernimus, non eſt hujus loci determinare.*

Animadverſio. Mirabilis profectò Conjectura, cujus elucidationem, utpote arduam & difficilem, ſatìs ridiculè in alium locum rejicit *Harvæus*: ſcilicet Hominis, animalium nobiliſſimi, hujúſque Univerſi poſt Omnipotentem Deum Principis ac Domini, ſtupendam fabricam non niſi fortuitò conditam, & Sanguini velut adnaſcendo appenſam. Equidem Sanguis in ipſo corpore generatur, omnes ejus canales, poros & ſpiracula permeat; illi intimè & ſecundùm omnes ferè dimenſiones immiſcetur, & in ſubſtantiam ejus convertitur: quomodo igitur Sanguini adnaſcendo appenditur?

Harvæus, Exerc. 50. pag. 190. *Et quoniam veſicula pulſans, indéque deductæ fibræ ſanguineæ, ante alia conſpiciuntur, crediderim rationi conſentaneum eſſe, ut Sanguis receptaculis ſuis prior ſit; Contentum ſcil. ſuo Continente.*

Animadverſio. Quum triplex ſit apud Philoſophos Prioritatis acceptio, ſc. Temporis, Naturæ, & Dignitatis; hìc prioritatem Temporis debet intelligere *Harvæus*, qui contendit ſanguinem ante reliquas partes exiſtere, eáſque fabricare. At quum continens

&

& contentum ſint correlata; relata autem ſint ſimul tempore; ut ex Logica potuit meminiſſe *Harvæus*; fateri debet ſanguinem vaſis continentibus non eſſe priorem tempore. Præterea, ut antè notavimus, *Harvæus* Exerc. 15. conceſſit *Veſiculam pulſantem ſeu maculam albam cum quibuſdam circulis albis ante ſanguinem exiſtere.* Veſicula autem iſta pulſans proculdubio Cordis eſt rudimentum; Circuli albi ſunt Venæ & Arteriæ: Cor autem, Venæ & Arteriæ Sanguinem factum continent: Ergò Sanguis extra relativi notionem conſideratus tempore poſterior eſt ſuis receptaculis. Quòd autem omnes corporis partes Naturâ priores ſint Sanguine, indè patet, quia Finis Sanguinis eſt nutritio partium: naturâ autem prius eſt partes eſſe quàm nutriri. Item quum Sanguis nutriendarum partium causâ ſit factus, ſuámque naturam debeat exuere, ut partium naturam induat, ſequitur Sanguinem eſſe partibus Dignitate poſteriorem, ut & ſingulæ partes dignitate ſunt poſteriores compoſito cujus gratiâ factæ ſunt, quum Finis ſit Mediis præſtantior. Tandem fruſtrà Sanguinem ante ſua receptacula produxiſſet Natura, quia cùm ſit conſiſtentiâ liquidus, proprios non habet terminos quibus ab effuſione conſervetur.

Harvæus, Exerc. 50. pag. 192. *Crebrâ enim, ut dixi, vivorum diſſectione expertus ſum, moriente jam animali, nec ampliùs ſpirante, Cor tamen aliquamdiu ſpirare, vitámque in ſe retinere:*

tinere : quieſcente autem corde motum videas in auriculis ſuperſtitem , ac poſtremò in auricula dextra; ibíque tandem ceſſante omni pulſatione, in ipſo Sanguine undulationem quandam & obſcuram trepidationem , extremum vitæ indicium reperias ; & cuilibet cernere eſt ſanguinem ultimò in ſe pulſûs vitæque authorem retinere.

Animadverſio. Solent obſeſſarum Urbium propugnatores ſubterraneos hoſtium cuniculos pelvibus aquâ plenis in terræ ſuperficie diſpoſitis explorare : Similiter Medici vaſcula aquâ plena ægrorum ſyncope laborantium pectoribus applicant, ſumpto ab aquæ undulatione hîc vitæ, ibi cuniculi indicio. Quid hîc *Harvæus*? Iſtâmne undulationem inteſtino cuipi am calori aut vitalitati in aqua latitanti aſcribet ? aquámne ſuopte ingenio moveri contendet immoto vaſculo? an non potiùs concedet aquam moveri ad vaſis motum, licèt inconſpicuum ? Cur igitur idem in moribundo corde contingere neget ? ſi ejuſmodi motûs & pulſûs redintegratio non cordis ſed ſanguinis opus eſt, cur idem ſanguini in venis à corde remotis non contingit ? An non meminit *Harvæus* Doctrinæ à ſe ſtabilitæ, in Libro de Motu Cordis & Circulatione Sanguinis, ubi Sanguinis in extremis refrigerationem præcipuum conſtituit circulatoriæ neceſſitatis fundamentum, quam ideo perenni circulationis motu identidem ad Cor revehi contendit, ut ibi novo caloris ſupplemento imbuatur ?

Har-

Harvæus, Exerc. 70. *Sanguinem* ait *corpus aliud divinius participare, ac ſupra Elementorum vires agere, & eſſe Elemento Stellarum analogum.* Sed operæ pretium eſt audire quid per [*ſupra Elementorum vires agere*] intelligat. *Qui igitur* (inquit, p. 321.) *rem nullam ex Elementis compoſitam ſupra illorum vires agere poſſe autumant, niſi corpus aliud, idque divinius, participet, næ illi rationes ſuas malè ſubduxiſſe mihi videntur. Quippe vix ullum corpus elementare invenias, quod in agendo vires proprias non ſuperet. Nè longè quæram quod ubique obvium eſt, Aër & Aqua, dum navigia ad extremos* Indos *& circumcirca Orbem terrarum, ſæpèque ſimul in contrarias partes, deferunt, cùm molunt, pinſunt, cribrant, puteos exhauriunt, ligna ſecant, ignem ſuſcitant, quædam vehunt, alia obruunt, &c. an non corpus aliud præter Elementa, idque divinius participare videntur?*

Animadverſio. Hîc, Candide Lector, Magni illius Philoſophi ac Medici quidlibet ex quolibet deducentis nervoſum ratiocinium attentè conſidera & mirare. Aërem dicit agere ſupra ſuas vires, quia navigia circa orbem terrarum & in contrarias ſimul partes defert. Sed ut omittam non Aerem, ſed Ventum id præſtare, quid aliud præſtat navigiis ventus quàm impulſum? quem ſupra ejus vires eſſe quis, præter *Harvæum*, dixerit? Quòd autem in contrarias partes id agat, hoc diverſæ velorum & reliqui apparatûs nautici appli-

applicationi tribuendum eſt. Aqua omnia ſe graviora obruit, niſi cava vel poroſa ſint, ideóque aërem includant, ſe verò leviora vehit, multáque alia efficit ſecundùm machinarum diverſimodè applicatarum varietatem; quæ tamen uni ejus gravitati & impetuoſo curſui propter humiditatem propriis terminis incoërcibilem accepta referri debent: & quid hîc myſterii eſt, quid occultum aut intellectu arduum, ut corpus aliud divinius cœlo ſit deducendum?

Harvæus, Exerc. 51. p. 202. *Sanguinem* ait, *eandem naturaliter conſtitutionem habere, quam* Ariſtoteles *in parte primogenita neceſſariam cenſuit, nempe ut ſit partim ſimilaris, partim diſſimilaris conſtitutionis*; ità enim *Ariſtotelem* loquentem introducit, ſed locum non aſſignat: *Et quum vis movendi & vis ſentiendi in eodem membro* (ſcil. primario) *contimentur, ſit neceſſarium ut membrum quod primum principia ejuſmodi tenet, & ſimplex exiſtat, ut omnium ſenſibilium ſit capax, & diſſimilare, ut moveat & agat.* Et non multò pòſt addit *Harvæus*, p. 203. *Sanguini verò ut primùm conſpicitur, & veſiculâ comprehenſus pulſat, conſtitutio illa quam* Ariſtoteles *parti principi neceſſariam judicavit; manifeſtè ineſt: quippe Sanguis dum in corpore naturaliter ſe habet, ſimilaris ubique conſtitutionis apparet; quamprimùm autem extravaſatur, calorémque naturalem exuit, protinus ceu diſſimilare quiddam in diverſas partes abit.*

Ani-

Animadverſio. Sanguis igitur ex *Harvæo* (qui, renitente *Ariſtotele*, ut ipſe fatetur, id muneris Cordi abripit) ſimilaris eſt, ut omnium ſenſibilium ſit capax, diſſimilaris, ut moveat & agat. Ergò ſi Sanguis in venis eſt ſimilaris, extra venas diſſimilaris, in venis erit ſenſûs author, extra venas motûs: At quum extra venas corrumpatur & calorem nativum exuat, nec priùs ſit diſſimilaris quàm extravaſetur, ſequetur ſanguinem tum ſolùm motûs authorem eſſe quum corrumpitur & calorem nativum exuit.

Nec ſufficit dicere diſſimilaritatem actualem non requiri, ſed potentialem ſeu ad ſenſum dictam ſufficere ad hoc ut aliqua pars ſtatuatur motûs organum: nam licèt ad ſenſum, qui in paſſione conſiſtit, ſufficere poſſit conſtitutio ſimilaris; tamen ad motum animalem, qui conſiſtit in actione, requiritur organum partium actu diverſarum, quum omne illud quod ſeipſum movet, debeat eſſe diviſibile in partem per ſe moventem & partem per ſe motam: at hoc de Sanguine dici non poteſt, cùm non ſit actu diſſimilaris, partes autem quibus potentiâ conſtare ſupponitur confuſæ ſint & indiſtinctæ ac informes, quod etiam eſt contra rationem organi determinatam conformationem & figuram requirentis. Et hoc videtur ſentire *Ariſtoteles* ab *Harvæo* citatus, qui inſtantiam facit in Corde, quod reverâ & ad ſenſum conſtat partibus diverſi generis, proindéque motûs eſſe principium poteſt: ratione autem alicujus partium ſimi-

ſimilarium ex quibus componitur, poteſt eſſe principium ſenſûs, qui in paſſione conſiſtit: At propterea ſimilare dici neutiquam poteſt; ſimilare enim & diſſimilare ſunt contradictoria, quum unum includat alterius negationem, & è contrà; ſimilare verò & organicum minimè, cùm ad rationem organi ſimpliciter ſufficiat, ut pars habeat figuram certam & conformationem, verbi gratiâ nervus, qui facultatem ſenſibilem & motricem defert, ſe tamen non poteſt movere niſi appellat ad muſculum.

Harvæus, Exercit. 70. *Sanguis quoque ſupra vires Elementorum agit, cùm jam pars primogenita, & calor innatus exiſtens, ut ſit in ſemine & ſpiritu, reliquas totius corporis partes ordine fabricat*, &c.

Animadverſio. Quo jure *Harvæus* paulò pòſt in eadem Exercitatione Sanguinem ait eſſe hominis Animam, eodem jam, ſed minore impietate, Calorem nativum appellat; de quo ſtatim erit dicendi locus: interim fateri debet, Sanguinem in pulli generatione ex ovo ab agente aliquo à ſe diverſo fabricari, quum nihil ſeipſum generare poſſit. Quid igitur impedit quò minùs illud ipſum agens etiam reliquas partes fabricet? aut quo argumento inducitur *Harvæus* ut id muneris ſoli Sanguini vendicet? Quid ſunt Veſicula illa pulſans, & macula alba, & circuli albi tamquam circino ducti qui punctum album pro centro habent? nonne eſt veriſimile partium ſolidarum eſſe rudimenta? quod etiam agnoſcit *Harvæus*

Exerc.

Exerc. 15. p. 60. A quo agente producta ſunt? Non à Sanguine, cùm Sanguis ipſe nondum exiſtat, ut fatetur *Harvæus* in inſpectione ovi ſecundo incubatûs die, Exerc. 14 p. 58. eúmque quarto tandem die ſive tertio inſpectionis lineâ exili purpuraſcente rutilantem accedere teſtatur. Ergò ab aliquo alio. Ergò Sanguis omnes partes ordine non fabricat. Multa alia his non abſimilia nec minùs abſurda congerit *Harvæus*, réſque & functiones longè disjunctiſſimas confundit & invertit; quæ omnia minutim proſequi noſtrum non eſt conſilium. *Exerc. 16. p. 62.*

Ejuſdem Controverſiæ Proſecutio; contra Gliſſonium.

Caput V.

Sanguinis facultatem ſanguificam, quam *Harvæus* nudo propriæ authoritatis fulcimento munitam exhibuit, *Gliſſonius* etiam ratione ſtabiliendam ſuſcipit, Lib. de Anat. Hep. Cap. 35 Sanguinem tamen conſiderat non nudum, ſed vitalem, qui ſcil. vitalem ſpiritum in ſe continet, adeòque ſive Spiritum ſive Sanguinem dicat, perinde eſſe, próque ſynonymis habenda aſſerit.

Porrò ſupponit *ſpiritum quendam ſive liquorem vitalem in prima ſeminali materia, unde pullus in ovo & fœtus in utero formatur, hoſpitantem, ipſiſſimum eſſe Sanguinem, ruborem tamen nondum adeptum, qui ſe à reliquis partibus, quibus promiſcuè commiſcetur, ſegregat*

& in rivulos quoſdam excurrit. Hoſce aſſerit *in unum punctum* (Cor *poſtea dictum*) *coire : ex hoc rivulorum confluxu exurgere tantam liquoris vitalis ſtagnationem , ut loci anguſtiâ nequeat contineri : cúmque propter affluentes novos à tergo gurgites eodem quo acceſſit itinere non poſſit remeare , aliò viam pertundi , novóſque canales fabricari neceſſe ſit ; unde contingere circumgyrationem , ductúſque priores in venas , poſteriores in arterias abire. Interea liquorem hunc vitalem , accedente ex incubatu novi caloris incremento , in ſanguinem rubefieri , caloris enim ac motûs exceſſum compluribus rebus ruborem conciliare : atque ejuſmodi liquorem vitalem hoc modo in ſanguinem rubefactum , hæmatoſeos deinceps in fœtu formato authorem conſtituit.* Ità præfidenter philoſophatur *Gliſſonius*, non aliter quàm ſi, ut *Actæon Dianam*, Naturam nudam & ſine veſte conſpexiſſet.

Verùm enimverò quàm vana ſint hæc ſomnia, haud arduum eſt oſtendere ex partium fœtûs formationi inſervientium ſtructura, nullúmque ejuſmodi ſpiritum aut liquorem vitalem in materia ſeminali præexiſtentem in ſanguinem abire, ſed partium fœtûs ſolidarum lineamenta ex materia ſeminali fieri, nutrimentum autem & vivacitatem illis ex utero materno per vaſa umbilicalia accedere per ſanguinem & ſpiritus indè delato. Cujus rei argumentum evidens illud eſt, quòd vaſa umbilicalia in fœtu nondum excluſo perforata ſint & pertuſa, ſigno manifeſto Na-

tu-

turam, quæ nihil fruſtrà molitur, alicujus liquoris per illos canales acceſſum deſtinâſſe. qui nullus alius eſſe poteſt quàm ſanguis maternus: in fœtu autem excluſo & adulto impervia ſint & ſolida, & ex vaſis in ſuſpenſoria Veſicæ & Hepati ſtabiliendis deſtinata degenerent, uſu ſcil. cui antea inſerviebant, ceſſante: Unde neceſſariò conficitur, primum ſanguinem in fœtu inter formandum conſpicuum non generari vel in fœtu ipſo, vel ab aliqua ejus parte, ſed aliunde in fœtûs nutrimentum & augmentum ſuppeditari.

Quod ulteriùs confirmatur, quia in Ovo, ex cujus hiſtoria *Harvæus* & poſt illum *Gliſſonius* tot paradoxa deducunt, non in ejus centro, ſed in limbo exteriore, ut habet *Harvæus*, vel chorio membrana, ut *Gliſſonius*, primus ſanguis lineâ exili purpuraſcente comprehenſus conſpiciatur, ab extrà ſcilicet ad fœtum adveniens per vaſa umbilicalia, ad pullum verò ex vitello facultatis plaſticæ virtute in ſanguinem elaborato, ſicut ex albumine (ſi *Harvæo* credimus) pullus ipſe formatur. Hinc apparet non eandem debere eſſe fœtûs nondum formati aut abſoluti, ejuſdémque jam excluſi & adulti conſiderationem; actionéſque naturales juxtà ac vitales, quæ à partibus imperfectis ac tantùm in fieri conſtitutis non poſſunt produci, ideóque neceſſe ſit illas ab alio produci, (ſive illud aliud ſit uteri aut ſeminis vis plaſtica, ſive Anima ipſa) à partibus tamen perfectè formatis in fœtu jam manumiſſo, & ſui juris facto, poſſe ac debere

produci. Quocirca *Gliſſonii* confidentiam ſatìs mirari non poſſum, ejuſmodi mercem, quæ non niſi cautè fuit exponenda, tam audacter obtrudere non ambigentis, quæ licèt Juniorum animis minùs attentis fucum facere poſſit, Doctiorum certè perſpicaciam nullatenus effugere poteſt. Ut quid enim liquorem quemcumque in organicum motûs localis authorem, ipſorúmque organorum opificem conſtituit? cur liquorem cum ſpiritu, res toto cœlo diverſas, confundit? Nam quamvìs Chymici liquores ex mineralibus vel vegetabilibus vi ignis elicitos appellent ſpiritus, id tamen abuſivè faciunt, ideóque ſolummodo quia olim in organo diſtillatorio in vaporis conſiſtentia aſcenderant. Unde probat ductus illos priores in venas potiùs, poſteriores in arterias abire debuiſſe, quàm è contrà priores in arterias, poſteriores in venas? Et, quod omnium caput eſt, cur ſpiritum illum vitalem dicit ſanguinem gignere, cùm potiùs, ut ibidem ait, ab externo incubatûs calore in ſanguinem excoquatur? Unde in animalibus viviparis, ubi incubatus locum non habet, externum eliciet calorem ad liquorem vitalem in ſanguinem excoquendum? Unde colligit ſpiritum illum vitalem eſſe ſanguinem, antequam ſanguinis ideam acquirat? vel ſi ipſiſſimus eſt ſanguis, quomodo ſeipſum gignit? Quo autem jure vitalem ſpiritum cum ſanguine confundat, dicátque hunc illum in ſe complecti, expendemus in primi Argumenti ſolutione, quod eſt hujuſmodi.

Quid-

Quidquid primum ſanguinem in fœtûs formatione producit, id ſanguinem toto vitæ ſpatio producere credendum eſt; identitas enim effectûs cauſæ identitatem ſupponit: At in fœtûs formatione Sanguis vitalis primum ſanguinem efficit. Minorem probat, Quia nec Cor, nec Hepar, nec Venæ id muneris exequi poſſunt: aliud autem ab his diverſum præter Sanguinem vitalem aſſignari non poſſe aſſerit.

Reſpondeo, Verum eſſe, quidquid primò ſanguinem in fœtu generat, id toto vitæ ſpatio ſanguinem producere: primum autem ſanguinem in fœtu inter formandum conſpicuum non in fœtu, ſed extra illum produci, paulò antea diximus, & ex vaſorum ſtructura probavimus, & quomodo id fiat in oviparis explicuimus: proindéque argumentum falſo ſuppoſito nititur, ſanguinem nempe, unde fœtûs nondum abſoluti partes incrementum capiunt, à fœtu ipſo, vel ab aliqua ejus parte produci: ac propterea conceſſâ Majore, Minorem nego. Si verò de ſanguine in fœtu adulto & excluſo argumentum intelligatur, *Gliſſonio* explicandum reſtàt quid per ſanguinem vitalem intelligat. Quum enim, ut paulò antea vidimus, ſanguinem & ſpiritum pro ſynonymis habeat, vel hujus ſpiritûs vitalis naturam ac definitionem debuit exhibere, vel ejus receptam inter Medicos definitionem admittere: ac proinde debet intelligere vel ſpiritum vitalem communiter à Medicis dictum, qui in Cordis ventriculis ex naturali

ſpiritu & aëre per inſpirationem attracto in pulmonibúſque præparato generatur; vel ſpiritum inſitum, (aut influentem ex illo productum) qui proximum eſt animæ inſtrumentum, quod videtur intelligere, cùm illum dicat in prima ſeminali materia hoſpitari; vel denique virtutem plaſticam univerſi Corporis opificem. Si primum, manifeſtè errat, cùm ſpiritus iſte vitalis ex naturali, hic ex ſanguine fieri ſupponatur, proindéque ſanguinem unde ipſe fit conficere nequeat. Si ſecundum, perinde eſt ac ſi nihil dicat: Nam ſpiritus inſitus ſive influens nullam functionem particularem obit à partium quibus implantatur actionibus diſtinctam, ſed in agendo à privata ſingularum partium conſtitutione determinatur: ità in Pede v. g. ambulat, in Manu apprehendit, in Ventriculo chylum, in Hepate ſanguinem conficit, non ut propria dictarum functionum cauſa, ſed tamquam vis & energia partibus impreſſa, ut proprias quælibet actiones, pro privata cujuſlibet craſi & conformatione, non proprii officii ratione exerceat. Et quamvis partium virtus abſque ejuſmodi ſpiritu ad proprias functiones obeundas inefficax ſit; nemo tamen, ut arbitror, illum ambulationis aut apprehenſionis aut chyloſeos organum appellaverit, quorum nihilominus par eſt ac hæmatoſeos ratio. Hinc ſequitur hunc ſpiritum ad hoc, ut hæmatoſeos ſit opifex, in parte aliqua huic muneri peculiariter deſtinata, tamquam proprio & idoneo organo, re-

ſi-

ſidere debere, eámque quaſi informare; quod de Sanguine, qui omnino inorganicus eſt & informis, affirmari non poteſt. Si denique per Spiritum vitalem intelligat virtutem plaſticam, (quam non niſi ineptè & erroneè Sanguinis appellatione exprimeret) licèt concederemus, quod concedere non poſſumus, primum ſanguinem in fœtu conſpicuum per illum fieri, id tamen toto vitæ ſpatio non efficeret, quum partibus abſolutis, adeóque ceſſante facultatis plaſticæ uſu, ipſa ceſſare debeat. Cæterùm quod antea in *Harvæo*, hîc in *Gliſſonio* non notare non poſſum; Illum notiones & acceptiones rerum elegantes & emphaticas à Medicinæ parentibus poſteris relictas, nullo emolumento aut doctrinæ compendio, ſed cum inſigni diſcentium abuſu, invertere & confundere.

Minoris probationem duplici rationum apparatu munit: alias enim Cordi, Hepati & Venis communes; alias Cordi & Hepati peculiares adducit. De Venis enim minùs videtur ſollicitus. Prioris ordinis ſunt iſtæ.

1. Ratio: Neceſſe eſt primum ſanguinem fieri ab aliquo agente: Non fit autem ab aliqua partium ſolidarum, quia illæ non formantur niſi poſt natum ſanguinem, quum nihil agere poſſit priuſquam exiſtat: Reſtat ergò ut fiat ab ipſo Sanguine.

Jam reſponſum eſt, falſum in argumento ſupponi, ſanguinem ſc. primò conſpicuum in ipſo fœtu confici, qui manifeſtè aliunde

 fœtui

fœtui communicatur, ad augmentum & nutrimentum partium ſolidarum, quarum lineamenta jaciuntur ante appulſum ſanguinis.

2. Ratio: Sanguificatio fit per aſſimilationem, éſtque actio ſimilaris; pars igitur ſanguificationi idonea debet eſſe ſanguini omnifariàm ſimilis: Cor autem & Hepar ſanguini ſunt diſſimilia, ac Venæ adhuc magìs; Sanguis autem ſibiipſi ſimillimus eſt. Sanguificationem eſſe actionem ſimilarem probat, quia chylus ex quo, & ſanguis qui fit, ſunt ſimilaria, chylúſque in ſanguinem tranſit non ſeparatione alicujus partis ab alia, ſed exaltatione quadam ſpiritûs naturalis in vitalem.

Reſpondeó primò, negando Sanguificationem fieri aſſimilationem, quæ prima pars eſt Antecedentis: Aſſimilatio enim, quæ perfecta eſt & abſoluta nutritio, ſive ultimus nutritionis gradus, ſanguini non competit, ſed potiùs generatio, cùm res ſit inanima: nutritio enim & accretio ſolis viventibus competit, ut ex Phyſica clarum eſt, & conditiones accretionis & nutritionis ab omnibus Philoſophis traditæ, nec non diſcrimen inter generationem, accretionem & nutritionem planè evincunt; in hoc enim differunt generatio, accretio & nutritio, quòd Generatio ſit motus ad ſubſtantiam ſimpliciter, Nutritio ad ſubſtantiam ſub forma præexiſtente, & Accretio ad ſubſtantiam auctam ſive quantitatem. Horum motuum ſolus primus ina-

inanimis competit; omnes autem tres viventibus. Conditiones item accretionis & nutritionis ſolis viventibus, non inanimis conveniunt; quæ tres ſunt: 1, ut quod creſcit & nutritur, idem numero maneat; 2, ut non ſolùm totum, ſed ſingulæ ejus partes augeantur & nutriantur; 3, ut ex materia intus recepta, non extrinſecùs accedente, fiat augmentum & nutrimentum. Hæc autem inanimis non competere perſpicuum eſt: nam quamvìs majorem molem acquirant, creſcere tamen aut nutriri non dicuntur, quia id fit per juxtapoſitionem, non per intus receptionem, quæ fit per organa & ab interno principio: quemadmodum animalia & plantæ, nutrimento ex uno principio ſeu radice per canales manifeſtos, vel ratione ſaltem comprehendendos, ſingulis partibus inter ſe diſtinctis communicato, eadem numero manentia, nutriuntur & augentur; tritici autem acervus plurium granorum acceſſu augetur, non autem creſcere dicitur, quia ſingulis granis nulla fit additio, ipſéque acervus idem numero non manet: ità per additionem aquæ nova numero fit aqua, ac tota augetur, non autem creſcit & nutritur, quia ſingulis ejus partibus nullum fit incrementum; quod de Sanguine omnibúſque liquidis affirmandum eſt, cùm ſint inorganica, partiúmque diſtinctione careant, quibus ab uno principio vel radice poſſit accedere nutrimentum.

Reſpondeo ſecundò, negando ſecundam

partem Antecedentis, id eſt, Sanguificationem eſſe vel fieri per actionem ſimilarem: nullam enim actionem ſimilarem in Corpore agnoſcunt Medici præter Nutritionem: jam autem probavimus ſanguificationem non fieri per nutritionem. Ad priorem Antecedentis probationem dicô, ad hoc ut actionis ſimilaritas dignoſcatur, non tam conſiderandum eſſe an quod generatur, vel ex quo aliquid generatur, ſimplex ſit vel compoſitum; ſed an agens per quod fit ſimilare ſit, an organicum: ad hoc autem ut ſit organicum, non ſemper requiri partium heterogeneitatem, ſed ſufficere certam conformationem & figuram determinatam.

Ad poſteriorem Antecedentis confirmationem dico, ſanguinem ex chylo fieri per ulteriorem concoctionem, & complurium recrementorum ſeparationem, ut ſunt bilis & melancholia, quorum excluſioni Hepar & Lienem Natura dicavit, luculento indicio Sanguificationem non eſſe ſimilarem actionem, quæ ſine tot operoſis organis non potuit fieri. Addo, ſub judice adhuc litem eſſe, an dentur ſpiritus aliqui naturales, quos, ſi dentur, non ex chylo; ſed ſanguine fieri eorum aſſertores contendunt: ut mirum ſit *Gliſſonium* paſſim tam promiſcuè & ſine ulla probatione pleriſque terminis abuti.

Denique, *Gliſſonii* in gratiam admiſſo (non conceſſo) Antecedente quoad partem poſteriorem, nego Conſequentiam: Similaritas enim & Similitudo toto cœlo differunt; quum

quum Similaritas tantùm notet partium homogeneitatem, vel carentiam certæ ac determinatæ figuræ, quatenus ſimilare opponitur organico; Similitudo autem etiam qualitates & conſiſtentiam aliáque comprehendit. Vi igitur argumenti non ſequitur, effectum debere eſſe agenti ſimilem, quia fit per actionem ſimilarem.

3. Ratio: Si Cor & Hepar aut Venæ ſanguificationis officio ſe accingerent, chylum ad ſuam ſpeciem ſuæque ſubſtantiæ ſimilitudinem tantùm deducerent, ibíque ſubſiſterent, neque ad formam ſanguinis introducendam progrederentur, quum nihil agat ultra ſphæram ſuæ activitatis.

Reſpondeo, argumentum ſupponere, ulteriorem elaborationem requiri ad hæmatoſin quàm ad partium ſolidarum ex ſanguine reparationem ſive homoioſin: quod falſum eſſe quis non videt? quum è contrà ſanguinem priùs confici, ac deinde multiplici alteratione in partium ſubſtantiam converti, manifeſtum ſit, ut progreſſus iſte ultra propriæ activitatis ſphæram chimærica ſit ſuppoſitio. Verum quidem eſt, quodlibet agens naturale effectum ſibi quàm poteſt ſimilem producere, nec infrà ſubſiſtere, & conſequenter organum ſanguini conficiendo deſtinatum non in ſanguinis confectione deſiſtere, ſed chylum in ſuam ſubſtantiam convertere debere, niſi impediatur: multa autem impediunt. Inprimis, Major materiæ copia jam in ſanguinem converſæ quàm quæ organo ipſi nutrien-

triendo ſufficiat, quam idcirco aliò amandari neceſſe eſt. 2, Continuus novæ materiæ in ſanguinem convertendæ appulſus, quæ priorem ulteriùs impellit. 3, Reliquarum partium attractio ſanguinem continuò ad ſui reparationem rapientium: ac tandem, facultatis corpus regentis imperium in partem officialem & publicæ totius Oeconomiæ inſervientem. Cæterùm ſi quid valeret hæc *Gliſſonii* ratio, ventriculus cibos non converteret in chylum, qui ſuæ ſubſtantiæ non minùs eſt diſſimilis quàm Sanguis Hepati.

4. Ratio: Ex *Galenicorum* ſententia hæmatoſeos organum ideo ſanguini impertitur ruborem, quia ipſum rubrum eſt, Cor putà aut Hepar: Atqui Sanguinis rubor ſaturatior eſt quàm ſit Hepatis aut Cordis; imò hæc ante acceſſum ſanguinis in fœtu pallida ſunt, & ſi ex animalis recenter demortui hepate ſanguinem calidâ eluas, non rubri, ſed furvi coloris apparebit: Sanguinis igitur rubor aliunde accerſendus eſt quàm à corde aut hepate, quum nihil alteri communicare poſſit illud quo ipſum deſtituitur.

Reſpondeo, Quamvis *Galenici* verè dicant Hepar eſſe ſanguificationis organum, poſſe tamen contingere ut aliquæ eorum rationes efficaciter non concludant, ac ſatis eſſe ſi quædam ſint efficaces: fateórque ruboris in ſanguine cauſam adæquatam non eſſe ruborem hepatis, ſed concurrere ipſius chyli conditionem ad ruborem ex ulteriore concoctione contrahendum diſpoſiti; imò non eſſe neceſſa-

ceſſarium, ut quod alteri quampiam qualitatem communicat, ipſum eam actu habeat, ſed ſufficere ut habeat aliquas qualitates actu, quæ concurrente patientis diſpoſitione aptæ ſint aliam ab utriſque fortè diverſam producere;ut contingit in ſpiritu vitrioli, qui licèt actu nullius ſit ruboris particeps,alios tamen liquores ſaturato rubore tingit, quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur. Quod ulteriùs confirmatur Lactis exemplo, cui ſi paululum fellis incoxeris, illico pulchrum ruborem acquiret; idque experiuntur, & prodigii loco habent, mulierculæ caſei confectrices, quæ vaccis febricitantibus, ideòque lac multâ bile perfuſum præbentibus, illud inter coquendum ſanguinis inſtar tinctum non ſine terrore conſpiciunt. Lacti autem analogus eſt chylus, biliſque nonnihil in ſe continet, ac propterea, accedente ulteriore in hepate coctione, ſaturato rubore tingitur. Mirum autem eſt hìc *Gliſſonium* fateri cor & hepar ante productum ſanguinem extitiſſe, qui nuper illa ab hæmatoſeos officio excludere voluit, ideo quia ſanguis in fœtu appareat ante illorum fabricam.

5. Ratio: *Chylus & ſanguis intimè commiſti manent, ideo neceſſe eſt ut in ſe mutuò agant: Corpora enim naturalia juxta ſe poſita ſe mutuò alterare ſatagunt: Ergò cùm ſanguis mole quidem decuplò, viribus autem centuplò ſuperet chylum, illum ſibi aſſimilabit.*

Reſpondeo: *Gliſſonio* priùs probandum fuit ſanguinem chylo miſceri, quia hoc eſt quod nos negamus.

Ultimò objicit *Gliſſonius*, *Chylum intimè ſanguini commiſceri; à venis, autem & cordis ventriculis non niſi ſuperficialiter lambi; hepar verò chylum nullatenus ingredi, vel, ſi ingrediatur confeſtim egredi, nullâ ad aſſimilationis opus morâ conceſſâ; propterea ſanguinem chylo domando efficaciorem eſſe ſaltem ratione moræ diuturnioris.*

Reſpondeo: Statim negavimus chylum ſanguini miſceri. Quod autem ad feſtinatum ejus ex hepate vel corde egreſſum attinet, illum nondum probavit *Gliſſonius*: ſupponit tamen, credo ſecundùm Juniorum quorundam calculum, circulatorium ſanguinis motum hepar confeſtim & continuò deplentem, ſanguinémque in cor & arterias veloce impetu exonerantem, adeóque ad ſingulos cordis pulſus neſcio quantum ſanguinis effundi in arterias, ut neceſſe ſit totam maſſam paucarum horarum, ſi non quadrantum, ſpatio integrum abſolvere circuitum, ut nullibi moram patiatur. Verùm, pace illorum, ego cum *Fortunio Liceto* dixerim, nec ſemper tantum ſanguinis quantum illi aſſerunt, nec ad ſingulos pulſus ex ſiniſtro ventriculo in Aortam deponi: ſed ſanguinem eâ temporis & copiæ menſurâ quæ totius indigentiæ conducit ab auricula in dictum cordis ſinum effundi, indéque in auriculam denuo refundi, & perpetuo Euripo remitti ad perfectam uſque elaborationem, tum demum per Aortam in corporis refectionem abiturum. Nec Neotericorum Experimenta contrarium evincunt, quip-

quippe quæ corpus in ſtatu non naturali ponunt, quem à naturali prorſus diverſum eſſe, aliámque conſiderationem mereri, fatendum eſt. Quis enim ſanguinem dixerit tam celeri motu in ſtatu naturali ad Cor ferri, ac inter miſerabilem viviſectionis torturam?

Rationes experientiâ confirmat *Gliſſonius*; *Quia homines poſt profuſas hæmorrhagias, hepate & corde illæſis incidunt in hydropem, cachexiam, aliíſque morbos frigidos, læſâ nimirum ſanguificatione propter ſanguinis jacturam, cujus copia novo chylo domando ſufficiens non ſupereſt.*

Reſpondeo, Hydropem & cachexiam ideo conſequi profuſas hæmorrhagias, quia deficiente nutrimento partium tonus & facultas concoctrix debilitatur, ac ſpirituum tum inſiti, qui proximum eſt animæ inſtrumentum, tum vitalium reparatio & generatio ceſſat.

Inſtat *Gliſſonius*, *Cor, hepar & venas eſſe partes ſolidas, proptereáque ſubitò immutari non poſſe, præſertim quum ab hæmorrhagia nihil præternaturale patiantur.*

Reſpondeo, Cor, hepar & venas, quamvìs partes ſolidas, ſpiritûs tum inſiti tum vitalis radiis orbatas, genióque defraudatas, citò deficere, earúmque functiones labefactari, proptereáque pati aliquid omninò præter naturam.

Regerit adhuc *Gliſſonius*, *Hoc damnum eſſe ſolummodo privativum, defectum ſcilicet vitalis caloris proindéque nobis fatendum eſſe, vitalem calorem in ſanguine eſſe unicam ſanguificationis cauſam.* Re-

Reſpondeo, concedendo hoc damnum eſſe privativum, ſufficiens tamen ad productionem effectûs privativi, cujuſmodi eſt fruſtratio ſanguificationis: bonum enim ex integra cauſa, malum verò ex quocumque defectu. Non capio tamen quâ Logicâ concludat hinc nobis fatendum eſſe, vitalem calorem in ſanguine eſſe unicam ſanguificationis cauſam.

His in communi contra hepatis cordíſque hæmatoſin rationibus à *Gliſſonio* præmiſſis, alias utrique membro peculiares ſubnectit: ac inprimis, *Hepati ſanguinis fabricam* abjudicat, Pecquetti *obſervatione de diſtributione Lactearum thoracicarum, per quas chylum in ſubclavias deferri, nullóque modo ad hepar pertingere contendit*. Sed *Pecquettum* redarguunt *Aſelli*, *Walei*, & *Bartholini* obſervationes, qui inſertionem lactearum meſentericarum in hepar oculatis manibus viderunt; de qua licèt aliquando dubitare viſus ſit *Bartholinus*, in ultima tamen operis Anatomici editione eam aſtruit, & æreis Iconibus exprimit. Addo ego, non parùm ſuſpectum eſſe uſum lactearum thoracicarum à *Pecquetto* aſſignatum: Nam quamvìs dubitandum non ſit duos ramos à receptaculo *Pecquettiano* ad ſubclavias ferri, eóſque nonnunquam viſos chylo refertos; id tamen perpetuum eſſe neceſſe non eſt, cùm inter diros empſychotomias cruciatus ſucci omnes confundantur, & ad cor quâ poſſunt commodiùs pergant, naturâ omnibus, quantumvis irritis, machinis parti tam nobili ſuppetias ferre conante. Unde fieri poteſt ut

tum

tum temporis etiam ſuccus chyloſus hoc iter, licèt alteri uſui in animali rectè valente deſtinatum, præóccupet.

Cordi verò vim ſanguificam hâc ratione eripit *Gliſſonius*. *Cor*, inquit, *omnem vitalem calorem & activitatem à ſanguine vitali mutuatur, ſine quo non minùs torpida pars eſſet quàm alia quævis totius corporis.* Hoc effatum nobili experimento confirmat: *Evelle*; inquit, *protinus ſani animalis cor, ſanguinémque indè omnem elue, ac mox, dum etiamnum calet, chylum aut lac in ventriculos ejus infundito, viſurus numnam liquor ille ſanguinis aliquam faciem induturus ſit: Experieris profectò eundem neutiquam immutatum iri. Eſt tamen*, inquit, (juvat enim in præclaro hoc experimento paulò diutiùs immorari) *eſt*, inquit, *cor pars ſolida, & minùs veriſimile videtur actionem illam, quam ſolidioris ſubſtantiæ ſuæ ratione exequitur, momento temporis intercipi.*

Hæc *Gliſſonius*: Atqui ego eodem conficiam experimento, nec ventriculum chyloſeos, nec oculum viſionis, nec pedem ambulationis, nec manum apprehenſionis organa eſſe. Evelle enim protinus ſani animalis ventriculum; eum, dum adhuc calet, elue; ei quantocyus cibum quantumvìs eupeptum ingere, viſurus num chyli aliquam faciem ſit induturus. Experieris profectò illum neutiquam immutatum iri. Erue quantocyus oculum, brachium aut pedem abſcinde: profectò nec oculus videbit, nec pes ambulabit, nec

nec manus apprehendet: ſunt autem partes corde *non minùs ſolidæ*: cur igitur earum functiones *momento temporis* intercipiuntur? At, inquit *Gliſſonius*, Cor functionem ſuam *ratione ſolidioris ſubſtantiæ exequitur.* Verùm nos hactenus credidimus membra ſuas functiones exequi, non tantùm ratione ſubſtantiæ, quæ per ſe non agit, ſed etiam & fortè magìs ratione temperiei & conformationis. Mihi quidem videtur Cor non magìs agere ratione ſolidioris ſubſtantiæ, quàm pedem & manum. Non advertit, credo, *Gliſſonius* Partem à Medicis definiri, *Corpus toti cohærens & communi vitâ conjunctum*, quâ partes cohærentiâ deſtitutæ non ampliùs ſunt *partes* niſi æquivocé. Præterea nullámne efficaciam concedit *Animæ*, ſeu, quod idem eſt, *Formæ Gliſſonius*, quâ per ejuſmodi evulſionem privatur Cor? cujus neceſſitatem ſi intellexiſſet *Williſius*, non tam temere *formas & qualitates*, in tractatu de Fermentatione, *inanium figmentorum* titulo ornâſſet. Nam profectò, ut hoc (licèt parergon) adjiciam, functionum in hoc caſu fruſtratio non Salis, Sulphuris, Mercurii, Terræ aut Aquæ defectui, ſed Animæ ſeu Formæ abſentiæ aſcribi poteſt; niſi fortè etiam animam rationalem, ut cætera quæcumque, ex ſuo principiorum quinario conflari contendat *Williſ.*

Verùm enimverò quo eſt animo *Gliſſonius* clemente & pacifico, poſt fuſas & fugatas hoſtiles copias, poſt hoſtes armis & mūnimentis exutos, cum illis tamen in gratiam redire paratus eſt quantum rei veritas patitur: Quippe

in

in *Peripateticorum gratiam*, (*Galenicis* enim perennes inimicitias & bellum ἄσπειστον indixit) ſi cor & arterias in *ſenſu concreto* intelligant, quod *Ariſtotelem* feciſſe putat veriſimile, prout ſcil. ſanguinem vitalem in ſe continent, libenter fatetur *ſanguificationis opus in cordis ventriculis primùm inſtitui, idem in arteriis continuari, & poſt plures circumactus in iiſdem locis perfici; eâ tamen lege, ut inter dictas partes concretas operis principalitas ſoli ſanguini tribuatur, reliquis in auxiliarium cenſu tantùm æſtimatis, idque per modum organicum, non autem ſimilarem.* Ego verò ſubvereor nè hanc *Gliſſonii* comitatem Peripatetici riſu excipiant, eúmque ad Categorias & Prædicabilia remittant, quid Concreti, quid Abſtracti nomine intelligendum ſit, denuo monendum; quippe qui dicant *Concretum* formam cum ſubjecti connotatione, *Abſtractum* eandem abſolutè ſignificare: quod quâ ratione cordi & arteriis ſanguinem vitalem continentibus applicari poſſit, *Ariſtotelem* ignorâſſe fatebuntur. Mirum autem eſt *Gliſſonium* adeò jam ſui eſſe oblitum, ut ſanguificationem, quam ſuprà nervoſè contenderat actionem eſſe *ſimilarem*, jam per modum *organicum*, non autem *ſimilarem*, fieri velit; adeò ſc. parùm ſibi conſtat erroris cujuſlibet defenſio.

San-

Sanguinis ex quatuor Humoribus Compoſitio aſtruitur: contra Williſium.

Caput VI.

Abſoluto penſo de Sanguinis facultate ſanguificâ adverſus *Harvæum* & *Gliſſonium*, cum *Williſio* denuo congredi, eúmque percontari lubet, quâ inductus neceſſitate *ternarium* Chymicorum in *quinarium* mutaverit? quâ ratione cum prædamnatâ Peripateticorum bigâ (Terrâ & Aquâ) in gratiam redierit? quo exulatum damnaverit Pyrotechniæ præſidem *Mercurium*? num etiam veterem Chymicæ Medicinæ ſtructuram dirutum eat, novámque habeat ſub incude gementem? cujus erroris reos ſtatuit *Paracelſum, Crollium, Gluckradum, Beguinum, Hartmannum, Libavium*, cæteróſque Chymicorum *anteſignanos*, qui *Aquam* ſub *Mercurio*, *Terram* ſub *Sale* comprehendunt? At verò Analyſi per ignem factâ mixta quæcumque in *quinarium Williſii* reſolvuntur. Vereor equidem nè chymica corporum principia in infinitum excreſcant, ſi eorum numerus æſtimetur ſecundùm varietatem mutationum Saporis, Coloris, Conſiſtentiæ, aliarúmque qualitatum quas ab Igne patiuntur. At ſi Analyſis per Ignem tantam explorationis certitudinem exhibet, jam in vado eſt non ſolùm jam memorata biga, ſed tota etiam Peripateticorum quadriga, palmámque chymicæ ſenſibilitati

præ-

præripiet. Nam ut *Gluckradii* exemplo ad oppoſitam illi doctrinam confirmandam utar, *in ligni combuſtione, pars,* ut ait *Billichius*, *in Aërem abit per fumum, altera in Aquam tranſit ex ligni extremitatibus reſudantem; pars voracis fulgore flammæ luculentum prodit Ignem, reſiduum in Terram & cineres moritur.*

Sed quid in Principiis univerſæ Mixtorum multitudini communibus immoramur? non enim Phyſicam hîc, ſed Medicinam excolendam ſuſcepimus; nec remota, ſed proxima Sanguinis principia inveſtigamus: in quibus indagandis ſi ad ſuum nos *quinarium* remiſerit *Williſius*, haud aliter fecerit quàm ſi (quod ipſe in Peripateticis reprehendit) *Domûs principia quærenti ligna & lapides oſtendat*. Perſtat tamen *Williſius*, ac follibus arreptis ignem ſufflaminat, fornacem pyrotechnicis organis inſtruit, ſudat, alget, ſapores, odores, colores, conſiſtentiam oculis, naribus, palato explorat; & quamvìs in omnes ſe vertat partes, nihil tamen præter ſuum *quinarium* deprehendit, id eſt, *Spiritum, Salem, Sulphur, Aquam* & *Terram* toti Univerſo (ſi *Williſio* credimus) communia.

In Præfat. Tract. de Ferment.

At enim Dogmatici minore ut induſtriâ ità & anxietate, citra ullam furnularii apparatûs pompam, quatuor humores in hominis vel alterius animalis ſanguine ad oculum conſpiciendos exhibent; *in ſummitate* (ut ait idem *Billichius*) *purpuraſcentem Sanguinem* propriè dictum, *in limbis flavioribus ac tenuioribus Bilem, in parte aquea ad albedinem nonnihil*

nihil inclinante Pituitam ſero permixtam , in fundo fæculentiam Melancholicam non fruſtrà venantur; adeóque Sanguinis principia proxima, non remota, compoſitionis, non generationis, partes ſcil. integrantes & ſenſibiles, ac non tantùm *noëticas*, oculatâ fide dignoſcendas proponunt.

De Febr. p. 28. Objicit *Williſius*, ejuſmodi Sanguinis partes, *quales in Scholis finguntur*, *nullibi ſinceras reperiri*. Fateor ſanè in Sanguine extracto vix omnino ſinceras reperiri; ità tamen conſpicuas, ut cæcus ſit qui eas nequeat diſtinguere: ab electivè autem purgantibus humores ſinceros nonnunquam excerni, imò & in ſpontaneis excretionibus, ídque fortaſſe frequentiùs, idem contingere patebit in loco. Sed nec *Williſii quinarius* deprehenditur ſincerior: ipſe fatetur *Sulphuris ſubſtantiam nunquam ſinceram conſpici*, imò *ſeorſim ab aliis non conſiſtere, quin tenues vaneſcat in auras: Spiritum autem, ſubſtantiam*, ut ait *Williſius*, *maximè ſubtilem, æthercam & divinioris particulam auræ*, ubi gentium ſinceram oſtendet? Salem ſimiliter ſincerum non poſſe conſpici patet ex *Williſiana* Urinæ Anatome, cujus cum *latice aquoſo aſcendunt particulæ Salis & Sulphuris, quas ſequitur Phlegma non ſolitarium, ſed Sale inſigniter aculeatum, relictâ in cucurbitæ fundo Salis portione non ſincerâ, ſed Terræ unitâ*. Ità Chymici res in partes ſenſibiles determinare, & veluti ad vivum diſſecare, oſtentabundè magis quàm verè pollicentur.

Sanguinis ex quatuor humoribus compoſitio-

ſitionem autopſiâ probatam exhibuimus: ſupereſt ut id ità factum oportuiſſe, nec aliter fieri potuiſſe, oſtendamus. Quod factu non erit arduum, ſi conſideremus alimenta quibus in quotidiano utimur victu non unius eſſe omnia, ſed multiplicis naturæ, ità ut alia aliis magis vel minus alteratricis facultatis actioni reſiſtant vel cedant; imò pro diverſa cujuſque indole diverſas ſubeant mutationum ideas, quemadmodum ab eodem Solis calore Cera liquefit & Lutum induratur: quicquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur: ideo impoſſibile eſſe ex illis Sanguinem omnino homogeneum gigni poſſe: imò nec debuiſſe hinc liquet, quia cùm Sanguis commune ſit totius corporis alimentum, corpúſq; multiplicis naturæ ac temperiei partibus conſtet, conſentaneum eſt ſapientem Naturæ Architectum etiam alimentum illis partibus deſtinâſſe non homogeneum & unius modi, ſed heterogeneum & multiplicis temperamenti, quò expeditiùs ſingulæ partes tamquam ex communi promptuario nutrimentum ſibi maximè proportionatum prolicere poſſint.

Porrò quòd ejuſmodi Sanguinis partes ſint quatuor vulgò dicti Humores, *Hippocratis* experimento confirmatur, qui *L. de Nat. hum.* ex electivè purgantium effectu demonſtrat hominem, quoad vitâ fruitur, Sanguinem in ſe Pituitámque & utramq; Bilem continere. Epoto enim medicamento phlegmagogo pituitam, chologago flavam bilem, melanagogo atram excerni; hoc autem con-

contingere quovis die ac nocte, hyeme ac æſtate.

Hippocratis experimentum eludit *Fernelius*, Phyſiol. l. 6. agnoſcendo experimenti veritatem, ſed dicendo ejuſmodi humores non neceſſariò alimentarios eſſe, aut è venis excludi, ſed excrementitios, & ex ventriculo, inteſtinis, hepate, aut veſiculâ felleâ educi: bilem enim v. g. in venis non contineri, quia cùm ſit amara, omnino ſit ad nutriendum inepta, eámque etiam in minima quantitate *nullâ concoctionis præſtantiâ, nullâ benigniorum admixtione, ad mediocritatem nutritioni aptam reduci poſſe*; non ſecùs ac lapidis aut ferri tenuiſſimus pulvis, quantumvis cum pane accuratè ſubactus, nutriendi vires conſequi nequit. Quam explicationem ipſius *Hippocratis* authoritate confirmat, 2. Aphor. 36. dicentis ſanorum purgationes eſſe difficiles; quod ideo contingere ait *Fernelius*, quia in ſanis non ſunt humores ſpecificâ pharmacorum virtute educibiles, unde fit ut pharmaca in parenchymatum & partium ſubſtantiam agant. Sed *Fernelii* explicationem optimo jure redarguit, celebris memoriæ popularis meus *Nellanus Glacanius*, *Tholoſæ* primùm, nuper autem *Bononiæ* in *Cathedra eminente* Medicinæ Profeſſor primarius. Cùm enim (inquit) *Hippocrates* dicat quatuor humores eſſe hominis naturam, eúmque abſque illis vivere poſſe neget, eóſque ex electivè purgantium effectu corpori ineſſe concludat, clarum eſt illum de alimentariis, non autem de

de excrementitiis eſſe intelligendum, cùm abſque his homo commodè vivere poſſit.

Præterea; niſi in ſanorum catharſi electiva aliquid utile & alimentarium educeretur, ſani non læderentur à catharſi: At ſani à catharſi læduntur: Ergò propter ſucci alicujus utilis excluſionem; non læderetur enim homo ab eductione humoris excrementitii: Nihil autem electivè educitur præter bilem alterutram vel pituitam: Ergò illud quod eductum lædit, debet fuiſſe utile, ſeu, quod idem eſt, alimentarium: humores autem alimentarii continentur in venis, non autem in ventriculo, inteſtinis, hepate aut veſiculâ fellis. Ratio autem cur ſani non ferunt catharſin non eſt illa quam adfert *Fernelius*, quòd ſcil. in corpore ſano non ſint humores electivè educibiles; ſed quòd juſtam proportionem nullus eorum notabiliter excedat, cùm ſanitas in eorum æquilibrio & ſymmetriâ, tamquam cauſâ ſaltem mediatâ, conſiſtat, quâ per catharſin ſolutâ ſanitas vitiatur: ſi verò humorum aliquis quantitate vel qualitate peccet, ſine noxa educitur.

Cæterùm quod ait *Fernelius*, bilem *amaram* eſſe, adeòque ad nutriendum etiam in minima quantitate ineptam, ut nullâ benigniorum temperatione ad mediocritatem reduci poſſit; ut fortè de bile excrementitiâ verum eſſe poſſit, (de quo tamen ambigi poteſt) de bile certè alimentaria, quæ tantùm calidior & ſiccior eſt pars ſanguinis, verum eſſe non poteſt. Nec pulveris è ferro & lapide paritas

Fernelium juverit: bilis enim cum reliquis ſuccis cognationem habet & qualitates ſymbolas, quarum ratione à calore nativo ad unitatem ex mutua earum temperatione emergentem redigi queant, quod de pulvere ferri aut lapidis ac pane nullatenus dici poteſt.

Nec tantùm in ſtatu ſano, ſed etiam morboſo, quatuor humores in homine reperiri, ídque non tantùm in peculiarium receptaculorum ergaſtulis, ut *Williſio* placet, ſed & in vaſis & habitu corporis, promptum eſt oſtendere. Non inficiabitur, ut arbitror, *Williſius* in leucophlegmatia & œdematoſo affectu habitum corporis pituitâ tumere, in Ictero utroque cutim bile flavâ & atrâ tingi; quod non niſi à dictorum humorum indebita cum maſſa ſanguinis mixtura proficiſci poteſt: quod & ulteriùs confirmant ſudorum varii colores, flavi, nigri, virides, cærulei, æruginoſi: nam quum ſudor ſit ſerum à ſanguinis vehiculo reliquum, rationi conſonum eſt, eum humorum qui in corpore magìs eminent tincturam æmulari. Sudorum in colore varietatem fuſè perſequitur *Galenus*, 4. de Sanit. tuenda; ſed fuſiùs eoſdem ſecundùm omnes differentias conſiderat, & variis humoribus ſecundùm variam illorum miſcelam adaptat *Cæſar Baricellus*, 2. de Natura Sudoris, quos conſulat qui volet. Hîc autem omittere nequeo caſum inſignem, quem ante aliquot annos *Aquis calidis* communicavit mihi Vir ornatiſſimus *D. Johnſonus*, Medicus *Vigorniensis* expertiſſimus, de Infante valetudinario qui inter dormiendum

dum perpetuo ſudore diffluebat, & lintea colore violaceo, ſeu inter violaceum & ſapphirinum medio, quem *Angli* Coventry Blew appellant, exactè tingebat: & memini me vidiſſe mulierculam proprium infantem lactantem, cujus lac ſapphirinum colorem exquiſitè referebat; ambo autem paucis pòſt menſibus obierunt: quos colores in variam utriuſque bilis miſturam & ſingularem coctionis ideam referendos ego exiſtimo. At huic controverſiæ finem imponere debent Febrium continuarum (quarum cauſam in vaſis majoribus ſtabulari non diffitetur *Williſius*) excretiones tum criticæ tum ſymptomaticæ, in quibus nunc pituita, nunc bilis flava, atra, vitellina, porracea, æruginoſa glaſtea, nunc ſalubriter, nunc pernicioſè excernitur. unde ſic argumentari poſſumus. Quod ritè eductum Febrim ſolvit, & retentum, vel cum indebitis circumſtantiis eductum, ægrum interimit, Febris cauſa ſaltem mediata dicenda eſt: At humores in venis contenti id faciunt: Ergò ſunt Febrium cauſæ. Major videtur clara: Minori fidem faciunt omnium ſeculorum, gentium & Medicorum experimenta.

Denique, bilem intra vaſa Febrim excitare, eâque eductâ Febrim ſolvi, ipſe fatetur *Williſius* in Febris tertianæ cura, cujus cauſam dicit eſſe pravam ſanguinis diatheſin in naturam acrem & bilioſam tranſeuntis, eámque curari purgatâ per vomitum bile ex veſicula fellea, quam inanitam, receptaculum evadere humorem bilioſum, ſive Salis &

Sulphuris aduſti particulas, è vaſis emulgens & excernens: quod ſi de bile Tertianæ cauſâ concedat, viderit ipſe cur idem, ſervatâ analogiâ, de aliis humoribus alias Febrium ſpecies committentibus, & per propria elateria expurgatis, neget.

Cæterùm quòd hîc & alibi paſſim *Williſius* bilem, ac Salis & Sulphuris aduſti particulas pro ſynonymis habeat, non ægrè feremus, eâ lege ut ſolam excrementitiam eo nomine intelligi velit, alimentariam autem Salis ac Sulphuris naturalis ſeu minimè aduſti nuncupatione gaudere permittat: ſi enim partium heterogeneitatem in Sanguine admittat, atque ità de re nobiſcum conveniat, de nominibus, quamvis nullo operæ pretio mutatis, non litigabimus, permittemúſque ut Chymici, ex quorum ſe claſſe profitetur, vocum ſaltem *novitate*, ut ſolent, *ſapientiæ opinionem* aucupentur.

An partium Temperies per Ignem aut Fermentum rectè exprimatur. Billichius *notatus.*

CAPUT VII.

QUamquam *Williſio* promptum fuerit effervescentiæ & orgaſmi febrilis cauſas deducere, tum ex ſanguinis heterogeneitate, tum ex primarum qualitatum aliarúmque ex illis naſcentium pugnâ & enantioſi; nè tamen ex *Solitudine* quam peragravit

nul-

nullis calcatâ veſtigiis nihil inſolentis retuliſſe videatur, indulgebimus illi ut δυσνοήτοις, nè dicam barbaris, *Ignis Carteſiani* & *Fermenti Hogelandici* vocabulis, argumento quod illuſtrandum ſuſcepit, altâ involuto caligine, ſpiſſiores adhuc tenebras offundat: non enim diſſimulandum eſt, in omni Febre calorem igneum, in pleriſque etiam, præſertim intermittentibus, aliquam Fermentationis rationem conſpici: ferri autem non poteſt quòd eadem ad naturalem partium craſin & calidi innati naturam exprimendam ſupinâ ἀκυρολογίᾳ traducat. Equidem cùm viri Naturæ conſultiſſimi duplicem in vivente Calorem agnoſcant, nativum unum; alterum igneum, quorum ille unà cum benignis ſpiritûs inſiti radiis omnia foveat, vivificet, conſervet, unde à nonnullis haud ineptè æthereus ac cœleſtis audire meruit; igneus è contrà eadem deſtruat & devaſtet, functiones omnes evertat ac peſſundet, quódque ad rem præſentem magìs attinet, febrilis ἀταξίας origo ſit & radix; nemo ſine inſigni terminorum abuſu hunc cum illo confuderit: quæ notionum confuſio quamquam *Carteſio*, fœminis aulicis, & ingeniis aliorum minùs ſolidis aliquam eruditionis umbram venditanti, concedi poſſet; *Williſio* certè, in Academia *Oxonienſi* philoſophanti, imò Philoſophiæ reſtaurationem parturienti, nullatenus concedi poteſt.

Sed nec magìs appoſitè, *Hogelandum* ſecutus, idem Calidum innatum quod jam per Ignem in Cordis foco reconditum expreſſerat,

 paulò

paulò pòſt, imò eodem ferè halitu, Fermentum appellat, dicítque perinde eſſe hoc an illud dixeris: quæ enim obſecro tanta Igni intercedit cognatio cum Fermento, in quo aciditas frigoris ſoboles maximè elucet? *Hippocrates* olim prodidit aceto nigra fermentari; vulgóque notum eſt, fermentum quo artifices Cereviſiarii ac Panifices utuntur, impenſè eſſe acidum, cui analogus eſt Tartarus in Vino fermentationis opifex: In aciditate autem terrena ſiccitas, ſeu, quod idem eſt, pertinax frigiditas, dominium obtinet; quæ licèt ad agitationem & motum in omni fermentatione conſpicuum ſit inepta, ideóque calore quo excitetur & in actum erumpat opus habeat, quàm tamen debilis is debeat eſſe, nôrunt Zythepſæ & Oenopolæ, qui zythum aut muſtum non niſi actu frigida, & in loco impenſè frigido, ut fermenteſcant, reponunt, præſertim ſi tempus ſit paulò calidius: ſin urgeat tempeſtas frigida, locum quidem tepidum & moderatum calorem eligunt, quem ſi paulò auctiorem adhibeant, pro vino vappam, pro cereviſia liquorem ingratum & fatuum, pro ζυμώσει denique putredinem ſint relaturi. Adeò verè dictum à quopiam Philoſophorum fuit, Ad fermentationem opus eſſe calore quidem movente, ſed frigore vincente.

Nec obſtat quòd inter fermentandum vaſa juſto diligentiùs obturata rumpantur ac diſſiliant: hoc enim non caloris ubertati, ſed flatuum ex remiſſo calore naſcentium, amplio-

rém-

:mque locum poſtulantium, copiæ acce-
:um referri debet; quod vel indè clarum eſt,
uoniam quò diutiùs & efficaciùs fermen-
ım in lagenis vitreis vel lapideis conceperint
na vel cereviſia, præterquam quòd bibentes
ıtibus repleant, eò frigidiora inter biben-
um ſentiantur: adde quòd ſi calorem validio-
:m applicueris, vinúmque aut zythum ad
:rvorem & extremæ guttulæ exhauſtum
ɔxeris, nihil indè periculi ſit vaſis timendum.

Aciditatem fermentationis opificem eſſe,
uamvis *Plato*, qui primus ac ferè ſolus de
:rmentatione accuratè egit, expreſſis aſſerit
:rbis. negat tamen *Anthonius Guntherus Bil-*
·hius, in Anatom. ferm. Platon. C. 8. ideo
ıia calx viva, in qua nulla aciditatis ſit ſuſpi-
o, frigidâ affuſâ fervet; cujus incendium,
t & butyri antimonii affuſo nitri ſpiritu,
vum ait eſſe fermentationis exemplum, re-
ıgnantibus *Cardano* & *Scaligero*, qui ejuſmo-
fervoris cauſam ſtatuunt antiperiſtaſin.
l ex *Pinciero* duplici probat *Billichius* expe-
mentò. Primo, Quia ſi calcis glebam di-
ıidiâ ſui parte in aquam immerſeris, illa
ntùm pars quam aqua madefecerit calo-
:m ſit contractura, immutatâ alterâ quæ ſu-
·a aquam fuerit; cujus contrarium contin-
:re oporteret, calore per antiperiſtaſin fri-
ıdæ à parte madida ad ſiccam refugiente. Se-
ındo, Quia idem incendium conciperet calx
iva ad affuſionem calidæ non minùs quàm
:igidæ, ut caloris à frigore fuga ſit commen-
itia. Quæ experimenta tanti æſtimat *Billi-*

D 4 *chius*,

chius, ut de triumphatâ Antiperiſtaſi, eíque ſubſtitutâ Fermentatione, Epinicium ſibi cecinerit.

At enim quid regeret *Billichius*, ſi negaverimus calcis vivæ incendium fermentationis eſſe ſobolem, ſed illud retulerimus in pugnam, non fugam contrariarum qualitatum, dum famelicus ignis ac pabuli indigens in exſucca calce, & propter exhauſtum in calcinatione humidum continens vix cohærente, latitans, ſine impedimento affluentem confertim humorem aggreditur, cui non minùs contrarius eſt quàm frigori, quo in congreſſu Aqua (frigida illa fuerit, an calida, parùm refert) ex Ignis reactione calorem acquirit, qui tamen durabilis non eſt, ſed copiâ aquæ ignem non ità uberem obruente, ad nativum denuò frigus revertitur? quod & in Fermentatione contingit, quam, dum fit, caloris nonnihil comitatur; abſolutam, redivivum frigus & aciditas excipiunt.

Verùm unde, obſecro, colligunt *Pincierus* & *Billichius* ad hoc ut calcis vivæ incendium tribueretur antiperiſtaſi, calorem debere refugere à parte calcis madida ad ſiccam? ubi obſervârunt accidens tranſiiſſe de ſubjecto in ſubjectum? At hoc, inquient, eſt de ratione antiperiſtaſeos. Minimè gentium; ſed in antiperiſtaſi contraria qualitas oppoſitam debet circumſiſtere; quod nè fiat, ipſa vetat ſuppoſitio, quæ dimidiam glebæ partem ſupra aquam eminentem, eíque non immerſam, requirit.

Cæte-

Cæterùm agitatio & fervor quem in madefacta calce, aut butyro antimonii ſpiritu nitri confuſo obſervamus, fermentationem in illis non magìs evicerit quàm ebullitio in elixis, in ferro aut titione candentibus aquæ immerſis ſtrepitus, aut in fœno putreſcente incendium; quæ toto cœlo eſſe diverſa quis non videt? Ac de Elixis res eſt apud omnes in confeſſo: in Fœno autem accenſo, ut multa alia omittam quæ putredinem à fermentatione vel invito *Billichio* diſcriminant, dicat, ſi poteſt, quâ ratione in hoc caſu fœnum majorem molem acquirere dici poſſit, quod tamen ad fermentationis eſſentiam pertinere poſt *Mercurialem Billichius* fatetur, ideóque Fermentum à *Gallis* non inepté *Levain*, quia maſſam levet, appellari contendit. Verùm enimverò in proferendis fermentationis pomœriis tam induſtrius eſt *Billichius*, ut omnes tum Micro-tum Macrocoſmi alterationes & operationes uni illi acceptas referat; qui etiam prodigioſum Ignem quem Sacræ Literæ 1. 2. *Machab.* ex aqua craſſa ſacrificiis inſperſa ad Solis radios accenſum teſtantur, non minùs ridiculè eò reducit, quàm impiè in fabularum cenſu reponi poſſe ſubinſinuat.

Refellitur opinio Williſii, *de cauſa interpolationis Febrium.*

CAPUT VIII.

QUæ ſuperiùs dicta ſunt contra *Succum nutritium* & *Sanguinis facultatem ſanguificam* ſatìs eſſe videntur ad evertendam *Williſii* ſententiam de cauſa *interpolationis Febrium*, quæ illis duobus tanquam fulcris ab *Harvæo* & *Gliſſonio* mutuatis innititur, qùum fundamento diruto nulla ſtructura non corruat. At quoniam in hoc ſubjecto *Williſius*, quod alibi vix aggreditur, Ratione Doctrinam ſuam ſtabilire operosè contendit, ejus Argumenta in medium adducere placuit. Supponit igitur, *id quod Sanguini fervorem periodicum impertitur aliquid eſſe quod ſtatâ ſemper & æquabili menſurâ in corpore generetur*; hoc autem non eſſe *humorem in vaſis meſaraicis aut viſcerum cavitatibus tanquam in minera deliteſcentem*: Non in *Vaſis*, quia Sanguis perenni circulationis motu omnia vaſorum diverticula perluit, eorúmque ſordes abluit, ut nihil noxii in illis remanere poſſit: Non in *Viſceribus*, quia illud fieri non poteſt citra *abſceſſum* aut *tumorem*: Sed nec omnino concedit dari ejuſmodi humores, ſaltem *ſinceros*, quales in Scholis deſcribuntur; vel, ſi dentur, non concipit, quo inſtinctu in focis reconditi

Williſ. de Feb. cap. 3. p. 28.

ſtata

ſtata putreſcentiæ, abſumptionis & reppullulationis tempora obſervent.

At profectò utrumvis dicamus, Solutio eſt perfacilis. Nam ut concedam in ſanitatis illibatæ ſtatu per motum ſanguinis circularem (ſi quem tamen illiuſmodi circulum par eſt agnoſcere) omnes vaſorum anfractus luſtrari, quid impedit quò minùs in ſtatu morboſo ſanguis impurus per vaſorum minorum anguſtias tranſcolandus ſuis ſibi ſordibus tranſitum præcludat, ibique reſtitans ſtato tempore putreſcat & accendatur? Quid? an non ipſimet Circulationis Patroni in eo maximè collocant morborum ex obſtructione pendentium cauſam, quòd propter quorundam vaſorum infarctum, ſanguis in illis non circuletur? quod quum in vaſis non raro contingere negari non poſſit, viderit *Williſius* quo jure ſimilem ab impuris ſuccis infarctum viſcerum parenchymatis deneget.

Hoc autem citra tumorem aut abſceſſum fieri negat *Williſius*. Quaſi verò ea malorum ſuccorum copia, quæ partem in molem non attollat, putreſcere nequeat, ac Febrim accendere. Sed fortè negabit *Williſius viſcerum tumores* in Febribus intermittentibus ſæpenumerò contingere. Id quidem in *Libris* (quod tamen in illis eſt perfrequens) non vidit, fortè quia videre noluit: *in vivis* tamen *& ſpirantibus exemplis*, ſi, ut prædicat, *crebrò ægris aſſediſſet*, ſi eorum *caſus ſedulò exploraſſet*, ſi *ſymptomata ſingula perpendiſſet*, eáque *in exacta diaria retuliſſet*, vidiſſet proculdubio, & ma- *Ibid.*

nibus palpâſſet *tumores* frequentes *hepatis* & *lienis* aut *ventriculi*, qui adeò plerumque ſunt conſpicui, ut vulgi oculos non effugiant, quos idcirco vulgari Idiomate Ague-Cakes, ſive Placentas febriles, nuncupant; cujuſmodi tumores manifeſtè indicant morbi cauſam in locis ità tumentibus, non autem in chimærico *Williſii ſucco alibili*, quærendam eſſe. Sed nec ſola *viva & ſpirantia*, verùm etiam *mortua* exempla conſuluiſſe debuit, eáque, ſi ex proprio non potuit, ex alieno penu deprompſiſſe, & analogiâ à mortuis ad vivos factâ, per tumores & abſceſſus meſenterii, omenti, pancreatis, renum, inteſtinorum, ex probatorum Authorum fide in cadaveribus inventos, quorum, quia in profundo ſiti erant, in vivis nulla erat ſuſpicio, colligere, non bene concludi in *viſceribus* non eſſe *tumores*, quia ſe conſpectui quandoque ſubducunt.

Si neget ejuſmodi humores etiam *ſinceros* in prima ſaltem regione dari, (præterquam quòd illud ſuperiùs, ut arbitror, ſatis eſt probatum) illum pervicaciæ reum agent tum organa ejuſmodi humoribus à ſanguine emulgendis à natura inſtituta, tum excretiones pituitæ biliſque flavæ & atræ per vomitum & ſeceſſum, tum denique eorum collectiones in variis cadaverum locis à mille Authoribus obſervatæ, quorum omnium inſtar unus erit *Fernelius*, qui Pathol l.4. c. 10. teſtatur, ſe inveniſſe circiter libram bilis praſinæ ſinceræ in membrana prope cava hepatis concluſam in cadavere defuncti, ex Paralyſi Febri tertia-

næ ſuccedente, quam præceſſerat vomitus bilioſus quotidie recurrens.

At non conſtat, inquit *Williſius*, quo *inſtinctu* ejuſmodi humores, *in focis reconditi*, *ſtata putreſcentiæ*, *abſumptionis & repullulationis* tempora obſervent. Fateor equidem: Sed necdum conſtitit quo inſtinctu Oceanus ſtatas acceſſus & receſſus periodos ſingulis duodecim horis, aut muliebria purgamenta menſtruum circuitum exactè obſervent: Nullus autem adhuc inventus eſt qui negaret periodicos maris aut purgamentorum muliebrium recurſus, quamvis eorum rationem non eſſet aſſecutus. Quòd ſi ideo *Williſius* periodicos humoribus motus denegat, quia *in focis reconduntur*, ut facere videtur eorum in focis *concluſionem* toties repetendo, advertat humores non niſi dum putreſcunt paroxyſmos febriles inducere; eò autem opportuniores eſſe putredini, quò arctiùs in focis concluduntur, propter tranſpirationem prohibitam.

Deinde, inter Febrium interpolatarum ſigna, ea quæ à pulſu & urinis petuntur in ſuæ doctrinæ patrocinium adducit *Williſius*, quia *pulſus in paroxyſmi initio rarus eſt & obſcurus*, *Ibid. pag. 35.* quod *planè*, ait, arguit calorem & ſpiritus vitales à materia quadam cruda & non facilè combuſtibili (*ſucco* putà *alibili*) quaſi obrui. At ego planè exiſtimo hunc effectum aſcribendum eſſe vaporibus putribus tetriſque à materia febrili in viſcerum aliquo hærente emiſſis, & ſpiritus in corde obruentibus, tandémque accendentibus; cujus ſpecimen reli-

 quit

quit nobis *Hipp.* in putrida Febre ex inguinis abſceſſu accenſa, unde nihil præter vaporem ad cor potuit tranſmitti: putridarum autem Febrium inſultus eodem planè cum Febrium intermittentium paroxyſmis modo ægros plerumque prehendunt.

Similiter ex Urinæ in Tertiana intermittente colore flammeo, etiam cùm deſunt contenta, ſuam munire conatur doctrinam, quia id ſanguinis aduſtionem ſeu aſſationem innuit: quem effectum cur ſucco alibi aſcribat, nec ipſe exprimit, nec ego intelligo. Si dicat, ſuccum illum putreſcentem accendere ſanguinem; ego idem de inquinamentis retorridæ bilis è minera per vaſorum continuitatem in cordis ſinus irruentibus affirmabo, dicámque colorem illum ſaturatum non tam aſſationem ſanguinis indicare, quàm tincturam ejus à bilis citrinæ portione è primis viis in paroxyſmi vigore ad vaſa majora penetrantis & ſanguinem inficientis.

Ulteriùs advertit *Williſius*, *in Tertiana intermittente urinæ malè eſſe, dum bene eſt ægro, & è contrà. Dum enim Febris intermittit, urinam colore rubicundo ſaturari, & frigori expoſitam craſſeſcere, ac ſedimentum inſtar boli armenæ deponere; in medio autem paroxyſmo, dum calor & æſtus maximè vigent, urinam eſſe laudabilem:* quod ideo ait contingere, quia *in paroxyſmorum intervallis materia febrilis innoxiè cum ſanguine circulatur, donec tacitis incrementis ad maturitatem aſſurgat; in medio autem paroxyſmo ad circumferentiam tranſmittitur.*

Re-

Reſpondeo: Si verum eſt in paroxyſmi tertianarii vigore urinam eſſe laudabilem, indè optimè colligi materiam febrilem nondum ſanguini miſceri, ſed in minera ſive primis viis hærere, donec ab incendio ex putredine concepto fundatur, & agitata in vaſa irrumpat, unde pars ejus tenuior & maximè diſſipabilis ad habitum corporis per ſudores abſumenda protrudatur; caſſior verò & lentior tantiſper in vaſis ſubſiſtat, donec in Febris intervallo ab arteriis emulgentibus unà cum ſero ex ſanguine attrahatur, ac demum per ductus urinarios expellatur. Si enim, ut ait *Williſius*, tanta eſſet in ſanguine corruptela ſive acrimonia, quæ ſuccum alibilem quotidie vitiare, & in materiam Febri excitandæ idoneam convertere poſſit, quomodo fieri poſſet ut urina, quæ ſerum eſt à ſanguinis vehiculo reliquum, ejúſque colorem æmulatur & ideam exprimit, vel inter, vel intra paroxyſmos laudabilis eſſet? ut in continuis contingere videmus, in quibus cùm maſſa ſanguinis ſit corrupta, urina à principio ad criſim uſque incendii febrilis ſigna exhibet.

Hîc non poſſum non advertere *Williſium Maturitatis nomine*, contra communem Philoſophorum acceptionem, genuinámque vocis ipſius ſignificationem, abuti, dum ait ſuccum alibilem eouſque innoxium eſſe dum ad maturitatem aſſurgat, ac tum demum Febrim accendere: quid enim? nonne *maturitas* concoctionis terminus eſt & complementum, adeóque cruditati ſive apepſiæ oppoſita, ut quem-

quemadmodum hæc Febres accendere & functiones evertere, ità illa functionum integritatem Febriúmque ſolutionem inducere nata ſit? & quamvìs tum concoctio, tum illi oppoſita cruditas à calore procedere poſſit, cùm tamen hæc à præternaturali, illa à familiari calore oriatur, fines ſortiri ſolent non tantùm differentes & diſparatos, ſed etiam planè contradictorios, ut quod una aſtruit, altera deſtruat, & è contrá. Dato igitur (non conceſſo) *Succum alibilem* ſanguini miſceri, eúmque nunc in materiam febrilem, nunc in partium nutrimentum à ſanguine converti, ſanè tum ſolùm matureſcere dicendus eſſet, cùm partibus nutriendis idoneus evadit, minimè verò cùm putreſcit & Febrim accendit.

Ibid. pag. 36. Pergit *Williſius*, ac *paroxyſmorum præludia*, *Cephalalgiam ſcil. Vertiginem*, *oculorum coruſcationes*, *ſomnos inquietos*, &c. in ſubſidium appellat; eáque ait *planè indicare ſanguinem priùs materiâ fermenteſcente infectum*, *eatenus tantùm differre paroxyſmum dum ejuſmodi materia turgeat*.

Verùm ſi ego oſtendero omnia hæc ſymptomata in aliis morbis ab alia cauſa quàm à *materia fermentativa* in ſanguine turgente proficiſci, quò evadet tanta *Williſii confidentia*? At clarum eſt dicta ſymptomata in paſſione Hyſterica, in Vertigine & Epilepſia per conſenſum, in Melancholia hypochondriaca, in Alvi conſtipatione, Vermibus. &c. à ſolò vapore ex utero, liene, meſenterio, alvo, inteſtinis, aut etiam partibus externis emergente,

pro-

proficiſci poſſe & ſolere. Quid igitur impedit quò minùs idem in Febribus intermittentibus contingere poſſit?

Deinde addit, pallorem, ſpaſmum, aut ſtuporem in extremis manuum ac pedum digitis, lumborum ac femorum frigus, totiúſque corporis rigorem ac tremorem, *manifeſtè oſtendere* ſanguinem in arteriis & venis fermentationis motum primò concipere, & non à foco aut minera hanc putreſcentiam concitari.

Libenter ſanè doceri cuperem, in quo collocet *Williſius* vim hujus illationis tam *manifeſtæ*, & ut ait, *oſtenſivæ*: Pallor quippe in extremis manuum ac pedum digitis, ac femorum lumborúmque frigus, vel retractionem foris intrò caloris ac ſpirituum vitalium arguit, ut non raro videmus in ſyncopem patientibus; vel ejuſdem caloris extinctionem, ut in moribundis contingit abſque aliquo fermentationis in ſanguine motu: Stupor autem affectum principii nervorum, vel nervi alicujus particularis ſequitur, Spiritus animales eò non tranſmittentis, plerumque abſque proprio partis ſtupentis affectu; ut contigit *Pauſaniæ Syro*, qui referente *Gal.* 1. de Loc. affect. c. 5. læſo nervo poſt ſeptimam vertebram prodeunte in trium digitorum ſtuporem incidit. Totius denique rigor ac tremor ſymptomata ſunt nervoſi generis à re quapiam acri aut moleſta vellicati.

Atqui hæc omnia commodè deduci poſſunt ab humoribus in prima regione tamquam in foco vel minera putreſcentibus; à qui-

quibus malignus halitus emergens aptus eſt, tum propter viciniam Cor appetere, unde ſequitur caloris & ſpirituum vitalium ab extremis ad centrum revocatio, ut parti principi laboranti ferant ſuppetias, pallore interim & frigore partes extimas vivifici nectaris radiis defraudatas occupante; tum propter ſitum declivem cerebro tetram anathymiaſin communicare, quæ vel qualitate narcoticâ ſtuporem inducere, vel copiâ meatus Cerebri obſtruente ſpiritus animales intercipere, vel acrimoniâ nervoſum genus partéſque ſenſiles irritante rigorem ac tremorem accerſere valeat. Imò quid vetat quò minùs eadem anathymiaſis per cæcos patentes ductus ad partem quamlibet particularem illæſo Cerebro appellat, in eâque dicta ſymptomata vel eorum nonnulla excitet, eámque variè afficiat pro varia tum ipſius vaporis tum partis mandantis ac recipientis natura? Quòd autem totum ſimul corpus rigor & tremor invadant, non magìs cauſam in totum ſimul corpus diſperſam oſtendit, quàm horror in abſceſſu ſuppurante, qui totam compaginem corripit, propter affectum unius fortè membranulæ aut nervuli à venenata malignitate vellicati, totũ nervoſum genus in conſenſum trahentis.

Horum autem ſymptomatum aitiologiam *ſucco ſuo* explicatè accommodare non aggreditur *Williſius*, & ego fieri non poſſe contendo: nam, ut alia omittam, extremorum frigus actuale & marmoreum quod paroxyſmos auſpicatur, nulli ſucco in toto vel partibus reſiden-

denti aſcribi poteſt, quum nihil actu frigidum intra hominem quoad vitâ fruitur concedi poſſit; adeóque neceſſe ſit extremitatum frigus vel frigori ambientis, quod ſedulò cavent febricitantes, vel caloris & ſpirituum quam diximus retractioni tribuendum eſſe: cui aſtipulatur ſubitanea frigoris deſitio quamprimùm vomitus vel ſponte, vel artis operâ excitatur, evacuatâ materiâ venenatâ è centro corporis, & calore & ſpiritu ad extrema denuò remigrante.

Sed forté apodixin à qua hîc aberravit *Williſius* cumulatiorem in proximo ratiocinio exhibebit, quod à cauſa Febrium procatarctica deducit. Supponit igitur (quia probatu difficile eſt) *ſolius ambientis annique tempeſtatum* *Ib. pag.*
intemperiem Febres interpolatas creare; cæteras 37.38.
autem res non naturales, cibum putà & potum, excreta & retenta, motum & quietem, ſomnum & vigiliam, Animíque pathemata è cauſarum illas committentium cenſu expungit, nè ſc. propter malam victûs rationem, aliqua humorum in primis officinis tanquam in *minera* (quam tantopere metuit) congeſtorum ſuſpicio oriatur: quinimò audacter pronũciat *ſolos homines* εὐσπλάγχνοι *viſceráq; firma & robuſta habentes Febribus intermittentibus corripi*, at contrariâ temperie præditos *in Hydropem & Cachexiam labi.* Tanti ſc. intereſt *Williſianæ* doctrinæ authoritatem ſartã tectam conſervare, ut rationi noſtræ valedicere & ſenſuum fidei derogare debeamus. Nam ſi ſoli viſcerum firmitudine præditi, & primas officinas cacochymicâ ſaburrâ vacuas habentes Febribus intermit-

mittentibus, corripiuntur, unde, obſecro, fit ut in paroxyſmorum initiis, ac ſæpenumero extra paroxyſmos, perpetuâ ferè nauſeâ, ſiti inexplebili, continuâ anorexiâ, cardialgiâ & oris amaritudine torqueantur? Si prima officina pravorum ſuccorum ſentinâ non eſſet referta, quid excretis per alvum & vomitum tincturam citrinam, praſinam, æruginoſam, conſiſtentiam viſcidam & mucilaginoſam, acrimoniam erodentem, fœtorem abominabilem impertiretur? Si viſcera munda eſſent & firma, quid hypochondriorum, meſenterii, ventriculi tumores doloréſque in Febribus intermittentibus perfrequentes; eárumque comites ferè individuos, committeret?

Pag. 38. At, inquit *Williſius*, *cruditates ob debilitatem coctionis in primis viis congeſtæ non Febres interpolatas, ſed Hydropem aut Cachexiam* magìs parere ſolent. Sed conſideraſſe debuit, cruditates primæ regionis non eſſe unius modi, próque illarum diverſitate diverſos oriri morbos; quarum ſi tanta ſit frigiditas & lentor, ut putreſcere aut accendi nequeant, magìs parere cachexiam in hydropem deſituram; ſin incendii capaces ſint, Febres intermittentes ut plurimùm creari. Sed nec ſemper hydrops aut cachexia primigenii ſunt morbi ab ejuſmodi cruditatibus orti, ſed plerumque ſuccedunt Febribus interpolatis in ſchirrum aut abſceſſum degenerantibus, frigore inemendabili calorem febrilem excipiente: Imò debilitas caloris non eſt unicum illius vitium; nec cruditas & cacochymiæ congeſtio à ſolo provenit

venit caloris defectu; caloris etiam exceſſus concoctionem ſolet evertere alimenta corrumpendo, eáque in ſubſtantiam naturæ noſtræ infenſam convertendo. Hinc eſt quòd poſt cibos aromatis conditos intemperanter ingeſtos, & vina potentiora liberaliter obligurita, ructus acidos, nidorulentos, fœtidos, flatus immodicos, aliáque dyſpepſiæ argumenta experiamur: hinc denique, & propter errata in reliquis rebus non naturalibus, fit ut cacochymicam ſaburram coacervemus, & in interpolatas Febres identidem incidamus.

Urget, *Febres intermittentes vix contingere niſi circa Æquinoctia, cùm ſcil. Vernus calor ſanguini luxuriem conciliat & efferveſcentiam, proptereáque bilioſam diatheſin ipſi impertitur; Autumnus autem eidem ab æſtivo calore torrefacto qualitatem nunc acrem & bilioſam, nunc acidam, ſtypticam aut auſteram imprimit: quod planè*, ait, *indicat Febrim intermittentem à temperie ſanguinis mutata originem habere.*

Reſpondeo, Circa Æquinoctia tum Febres, tum alios morbos magìs invadere, non ſolùm propter inſigniores ambientis ac tempeſtatum mutationes, ſed cum illis coincidere noxas ab erratis in victu: Hyeme enim quæ propter crapulam, exercitia intermiſſa, & tranſpirationem impeditam coacervantur ſuperfluitates, ſub Æquinoctium vernum non minùs quàm ſanguis fundi incipiunt, moveri & putreſcere: & in Autumno, præterquam quòd fruges ſæpenumero rubiginem morborum feraciſſimam contrahunt,

etiam

etiam fructus horarii, quibus plerique hominum intemperantiùs veſcuntur, fœcundum Febrium intermittentium ſeminarium ſubminiſtrant: ut mirum ſit *Williſius* ſoli tempeſtatum mutationi effectum mille aliis cauſis communem attribuere, ídque pro *plena demonſtratione* præfidenter venditare.

pag. 38. Tandem, ex multiplici Febrium ſolutione multiplex deprómit argumentum. Ait enim *illas vel ſponte naturæ, vel artis operâ ſolvi.* Ac utrumque modum in duos ramos ſubdividit. *Naturam enim criſin moliri vel per repetitos paroxyſmos, in quorum ſingulis nonnihil materiæ morbificæ expirat è ſanguine; vel ſanguine per cæli & ſoli mutationem circa æquinoctia vel ſolſtitia citra ſenſibilem evacuationem attemperato, Febres deſinere: quorum ſi neutrum contingat; ſanguinem à diatheſi acri & bilioſa, in acidam, aquoſam aut ponticam degenerare, unde diuturna Tertiana in Quotidianam aut Quartanam, vel etiam in Icterum, Cachexiam aut Scorbutum tranſit. Artificialem in Empiricam & Dogmaticam* bipartitur; *quarum illam huic præferendam* exiſtimat, *eò quod remedia ab Agyrtis & Mulierculis petita* non raró plus præſtent quàm quæ juxta *exactam methodum* præſcribuntur. *Empirica* remedia eo potiſſimùm nomine Febres fugare dicit, quòd *ſanguinem figant*, ejúſque *motum & efferveſcentiam impediant. Dogmaticam* autem in *Medicamentis emeticis & catharticis* ac *phlebotomiâ* conſiſtere, quibus *ægri miſerè excruciantur, morbus verò raró profligatur.*

Verùm cùm probandum ſuſceperit Febrium inter-

intermittentium phęnomena à viſcerum affectibus commodè deduci non poſſe; niſi confecerit humores in foco vel minera cōcluſos, nec repetitis paroxyſmis accendi & abſumi poſſe, nec ſponte naturæ per cœli aut ſoli mutationem cicurari, ſenſímq; citra ſenſibilem evacuationem expirare, nec motos & accenſos à remediis empiricis figi & conſtringi, nec deniq; à præſidiis dogmaticis exhauriri, fruſtrà ſe torquet ut oſtendat ſanguinem à tot cauſis tot alterationes ſubire poſſe: nam ut fateamur ſanguinem ab his & mille aliis cauſis corrumpi & reſtitui, unde apparet humores in viſceribus concluſos ab iiſdem cauſis eaſdē corruptelę & redintegrationis non pati viciſſitudines? aut cur contrarii argumentū aliquod non attulit?

Præterea, quis, præter *Williſium*, in aliam cauſam rejiceret Icterum, Scorbutum aut Cachexiam, quàm in *hepatis, lienis, meſenterii, pancreatis*, vel alterius viſceris affectum? per quorum viſcerum anfractus cùm ſanguis inter circulandum, imò, ut verior fert ſententia, antequam ſanguinis ideam acquirat, dum ſc. chylus in ſanguinem nondum abiit, debeat tranſire, non mirum eſt ſi, pro diverſitate cacochymiæ in illis congeſtæ, diverſas ſubeat corruptelæ ideas; quam corruptelam fruſtrà corrigere tentaverit *Williſius*, donec viſcerum cacopragian prius ſuſtulerit; ac propterea intermittentium Febrium, quæ in hos morbos ſolent deſinere, cauſam fruſtrà alibi quàm in *viſceribus* quæſiverit.

Cum verò medicinam Empiricā Methodi-

cæ

cæ præferat, adeóque remedia ab Agyrtis & Mulierculis petita potiora illis aſſerat, quæ juxtà exactam *methodum* præſcribuntur, operæ pretium feciſſet ſi *exactam* illam *methodum*, ſed parùm *efficacem*, in ſcripta retuliſſet, ut conſtaret utrùm arti an artifici culpa eſſet tribuenda. Interim non poſſum non ſuſpicari illum tantam quantam prædicat diligentiam non adhibuiſſe, in *obſervandis vivis & ſpirantibus exemplis*: quod ſi feciſſet, comperiſſet proculdubio præſidia *empirica*, utcumque in levibus affectibus aliquid præſtent, ideóque apud vulgus bene audiant, in affectibus tamen paulò gravioribus ante debitam præparationem adhibita, adeò non prodeſſe, ut graviter noceant: vel enim paroxyſmos, quod ab illis unicè expectatur, non fugant, ut *alibi* ipſe agnoſcit *Williſius*; vel ſi fugent, morbus cum majore atrocia propediem revertitur, humoribus interim, quorum nonnihil in paroxyſmis exhauriri ſolebat, majorem viſciditatem & malignitatem acquirentibus, unde morbi diuturnitas, ejúſque nonnunquam in tabem, hydropem aut cachexiam metaſtaſis contingit.

Cap. 4.

Enimvero fallitur aut fallit *Williſius*, dum methodicam curandi rationem in ſolis catharticis, emeticis, ac phlebotomia collocat. Prudentes enim Medici Dogmatici, omiſſâ ut plurimùm phlebotomiâ, quæ in Febribus intermittentibus locum non habet, niſi adſit inſignis plethora, etiam emeticis aliiſque catharticis non niſi parcè & cum diſcretione utuntur,

tur, ſaltem in principio; ſed in totius proviſione præcipuam locant induſtriam, humores crudos coquendo, craſſos attenuando, lentos incidendo, acres attemperando, juſto tenuiores ad mediocritatem reducendo, ſuperfluos propriis elateriis per loca conferentia expellendo, meatus per ecphractica reſerando, viſcerum cacopragian alterantibus corrigendo, reliquias ſudoribus diſſipando, aliáſque id genus intentiones perſequendo, à quibus ſi aberravit *Williſius*, non eſt mirum ſi *ægros miſerè excruciaverit*, *morbúmque raro profligaverit*, ut ab Agyrtis & Mulierculis remedia emendicare fuerit coactus. Sed & febrifugis Empiricorum Dogmatici feliciter in loco utuntur, quæ tamen methodicè & ad Artis leges uſurpata in Empiricorum remediorum cenſu reponi non debent, cùm effectus quos præſtant non tam remedii ſalubritati quàm uſûs opportunitati aſcribi debeant: quamvis interim negari non poſſit eorum utilitatem, ut & totius ferè materiæ medicæ, empiricè, id eſt fortuitò, inprimis innotuiſſe.

Cæterùm licèt concederemus, quod certè concedendum non eſt, intermittentes. Febres feliciùs & faciliùs curari per empirica quàm rationalia præſidia, quum id fieri poſſit, ſi omnino fieri poſſet, materiâ morbificâ non minùs in ramis venæ portæ, & arteriis comitibus, vel viſceribus ab illis irrigatis concluſâ, quàm in vaſis majoribus ſtabulante, quid indè lucratur *Williſius*, quàm ut teſtatum faciat ſe in *Helmontii* aliorúmque

methodomaſtigæ diſſertatiunculis magìs quàm in proborum Authorum monumentis verſatum eſſe? Interim licèt ad præſentem controverſiam parùm pertineat, quâ facultate remedia vulgò febrifuga dicta, paroxyſmos febriles vel fugent, vel præveniant; in eo tamen *Williſio* aſſentiri nequeo, quòd ſanguinem aut humores frigore aut aſtrictione figendo, id præſtent: hoc equidem nonnulla eorum fixione præſtare fatendum eſt: pleraque tamen vel vi diaphoreticâ materiam morbificam exhaurire, ut carduus, ſcórdium; aliáque quædam eandem per urinæ ductus amandare, multa ad cutim attrahere, ut veſicatoria, tam notum eſt quàm quod notiſſimum. Corticis autem Indici (quem Kina Kinam dicunt) facultas potiùs diaphoretica eſt quàm fixoria, quum levem ſaltem ſudorem ſemper eliciat, potiori cauſæ morbificæ portione per inſenſilem tranſpirationem diſſipatâ, ſecùs quàm ſentire videtur *Williſius* in fine Capitis ſexti.

Ad extremum *Williſius* doctrinam ſuam, quam hactenus tot Argumentis in fronte armatam exhibuit, jam Reſponſis ad Objecta tamquam vallo à tergo munitam claudit. Ex multis tamen quæ poſſint objici, unam ſaltem Objectionem ſeligit, quâ quæritur cur Febres intermittentes nunc ſimplices ſint, nunc duplices: Addo ego & triplices, quod mirum eſt *Williſium*, tam *diligentem ſpirantium exemplorum obſervatorem*, non vidiſſe. Si enim Febris v. g. *Quartana* ab atrabiliaria pendet ſanguinis diatheſi, quæ ad hoc ut ſuccum *alibilem*

lem ad turgeſcentiam evehat, quartanam exigit periodum; quomodo fieri poteſt, ut idem ſanguis eâdem diatheſi imbutus, ſuccum *alibilem* quatridui ſpatio bis vel ter pervertat, & *Quartanæ* inſultum inducat? Vel enim ultimi paroxyſmi materia ineunte paroxyſmo in ſanguine extitit, vel de novo advenit. Quòd de novo advenerit, eſt contra ſuppoſitionem quatridui incluſivi ſpatium requirentem, ut Quartanæ periodus compleatur. Si præfuit in ſanguine dum accenderentur duo priores paroxyſmi, quomodo potuit naturā ſuam inter incendia illibatā conſervare, ut ad legitimum Quartanæ typum conſtituendum de veniret?

Hanc difficultatem tanti fecerunt Veteres & Recentiores Medici, *Williſianam* perſpicaciam non aſſecuti, ut plures in viſceribus *mineras* conſtituere fuerint coacti, in quarum una aliqua unius paroxyſmi materia incendio corriperetur, reliquis interea ferias agentibus. Sed *Willliſius*

Reſpondet primò, ejuſmodi Febres nihilo ſeciùs *ſimplices* eſſe; non *duplices*, in eóque omnes errare, quia periodos non per *horas*, ſed per *dies* computant: periodum enim *Quotidianæ non ſemper eſſe exactè viginti quatuor horas, ſed nunc ſexdecim, nunc triginta: Tertianæ autem circuitum non ſemper eſſe quadraginta octo, ſed nunc quadraginta, nunc quinquaginta ſex aut circiter horas* Unde contingere dicit *alternos paroxyſmos nunc ante, nunc poſt meridiem evenire, ac Medicis hujus ſupputationis ignaris duplicem videri Febrim, quæ reverâ ſit ſimplex.*

Miſeros & cæcutientes Medicos Dogmaticos! qui cùm innumeras Febrium tum continuarum tum intermittentium complicationes, eáſque tum ejuſdem tum diverſi generis, vel viderint, vel finxerint, *horariam* tamen *Williſii computationem* videre non poterant. Et ſanè nondum quidquam de duplice Quotidiana vel comperimus, vel fando audivimus: Et ejuſmodi Febres non dari, vel indè conſtat, quia, fatente *Williſio*, Quotidianæ paroxyſmus ad octodecim vel viginti horas extenditur, quapropter duplicem acceſſum unius diei ſpatio admittere non poteſt; neque tota ejus periodus ad triginta horas extendi, cùm de ratione periodi intermittentis ſit, ut intra ſpatium illud à quo Febris denominationem ſortitur, vel circiter, unum ſaltem paroxyſmum cum apyrexiæ interſtitio percurrat, alterius paroxyſmi initio apyrexiam proximè excipiente. Quòd ſi aliter contingat, & ſtatus periodorum recurſus invertatur, Febris erit *erratica*; quam licèt Dogmatici frequenter conſpexerint & obſervaverint, de illa tamen in hâc quæſtione ſermo non eſt, ſed de *intermittentibus duplicibus, quarum acceſſus ſtatis præciſè horis repetunt, ut non exactiùs* αὐτόματον *horologicum*, prout *Williſio* alicubi exprimere placuit; in quibus non rarò contingit alternos paroxyſmos ſibi invicem exactè & regulariter reſpondere, tertium ſc. quintum & ſeptimum primo, ſextum autem & octavum ſecundo, & ſic de cæteris, duobus paroxyſmis unicam tertianam periodum exactè & regulariter obſervanti-

vantibus, & quotidie repetentibus, quod non *ſimplicem*, ſed *duplicem* Tertianam oſtendit, cujus cauſam inveſtigamus. Quod adhuc clariùs elucet in illa *Tertiana duplice* quæ unius diei ſpatio binos acceſſus inducit, quos excipit integri ſequentis apyrexia in alium paroxyſmum ſub tertii diei initium deſitura, ut in *vivis* & *ſpirantibus exemplis* non potuit non obſervare *Williſius*. Quod & ulteriùs in *Quartana duplice* patet, cujus duo acceſſus primum biduũ occupant, cum integra tertii diei apyrexia, ut omnium hominum doctorum juxtà & indoctorum obſervationibus conſtat. Nec minùs id ipſum in *triplice Quartana* (conſultò, ut arbitror, à *Williſio* prætermiſſa) perſpicuum eſt, cujus acceſſus non minùs quàm duplicis Tertianæ aut legitimæ Quotidianæ quotidie repetunt, quas tamen ſufficienter diſcriminant propria cujuſque morbi Idea & mores, ut *Williſio* ſatìs compertum eſſe debet, ſi *ſingula ſpirantium exemplorum ſymptomata diligenter perpendit, eáque in exacta diaria retulit*.

Williſius igitur in *horaria Arithmetica* nullum inveniens ſubterfugium, ad errata in victu confugit, ex quibus Febrium replicationem eodem vel diverſis diebus contingentem repetit. Sed quum non ſolùm erratici paroxyſmi, qui nullum temporis ordinem ſervant, ſed etiam ordinatæ paroxyſmorum replicationes contingant etiam exactas diætæ regulas durante morbo obſervantibus; nec ad prægreſſa ante morbum victûs errata refugere queat, tum quia illa è febrilium cauſarum

cenſu jamdudum expunxerat; tum quia diverſos cogeretur focos conſtituere, in quibus febrilis materia diverſis temporibus ad orgaſmum exurgeret; tum præſertim quia chylus ſeu ſuccus nutritius, quem Febris intermittentis cauſam ſtatuit, ex victu præſente non morbum præcedente gignitur: aliud adhuc latibulum ut excogitet neceſſe eſt, quod etiam in promptu habet.

Dicit enim *Sanguinis maſſam nonnunquam plus materiæ congerere, quàm unico paroxyſmo diſſlari queat, unde contingere, ut partem ejus tenuiorem, ideòque promptiùs inflammabilem, leviori paroxyſmo tamquam velitatione quadam priùs excutiat, craſſiore ad ſequentem acceſſum reſervatâ.*

Hæc reſponſio, ut prior, errata in victu ſupponit, quæ tamen ab omnibus duplices intermittentes patientibus non committuntur: imò in duplice Tertiana aut triplice Quartana ægri nihil omnino alimenti, ſi potulenta exceperis, ad multos dies nonnunquam admittunt, ac nihilominus ordinatas Febrium repilcationes patiuntur.

Præterea, cùm videamus ſecundum paroxyſmum reduplicàtivum priore non rarò eſſe multò leviorem, cujus contrarium contingere debere tum *Williſius* ſupponit, tum rei natura exigit, cùm materia craſſior tum intenſiorem caloris activitatem, tum diuturniorem accenſionis moram, ut ſubigatur, poſtulet; aliud adhuc diverticulum *Williſio* quærendum eſt, quod, quâ pollet ſagacitate, ſine difficultate

tate offendit; nervoſum nempe genus, in quo pars materiæ fermentativæ, ſuccus ſc. nervoſus, inter circulandum depravatus, ferias agat, dum reliqua in venis & arteriis cum ſanguine accenditur, poſtridie eaſdem excandeſcentiæ vices, alterâ feriante, ſubitura. Huc ſc. reſervaverat jamdudum profligatum *Gliſſonii ſuccum nervoſum*, cujus nullum hactenus uſum aſſignaverat, niſi ut ſi quando à ſanguine labem contrahat, Convulſionum, Delirii, Phrenitidis ſit author.

Sed cùm ſuccus nervoſus cum ſanguine vitioſo quotidie circulari ſupponatur, indè non poteſt labem non contrahere, proindéque tum in omni Febre reduplicare paroxyſmos, quod eſt contra experientiam, tum in ſingulis gravioribus ſaltem paroxyſmis Convulſiones, Deliria, Phrenitidem accerſere deberet. Ejuſmodi autem ſymptomata cùm rariſſimè Febres intermittentes comitentur, nervoſi certè generis ab illis immunitas vel hoc ſolo nomine evincere videtur, paroxyſmi reduplicativi cauſam in illo non contineri.

Interim notatum velim, ex hoc ſubterfugio apparere ad reduplicationem paroxyſmorum diverſitatem foci, nervos ſcilicet & vaſa ſanguinem continentia, etiam ex mente *Williſii* neceſſariam eſſe; eúmque cogente veritate, ad ſcopulum quem vitandum ſuſceperat impingere, opinionémque illam vel invitum amplecti, in cujus negatione tum doctrinæ baſin, tum famæ aucupium collocaverat. Ubi autem gentium tertium inventurus

ſit repoſitorium, quod triplicis paroxyſmi fomitem contineat, ſi viſcera excludat, ego equidem divinare non poſſum.

Williſiana *Febrium Therapeia expenditur.*

Caput IX.

POſt novam febrilis Dialeipſeos ætiologiam expenſam, ad *Williſii* doctrinam de continuarum Febrium Cauſis tranſire conſentaneum eſſet. Sed quum in illis idem ferè cum pleriſque aliis Medicis ſentire videatur, quamvis, terminis ex torculari & Zythepſario, principiis autem partim ex Chymiſtarum vix dum ſatis adultâ, partim ex Atomiſtarum jamdudum obſoletâ & exploſâ philoſophiâ mutuatis, novum aliquid & non vulgare attuliſſe videri velit; ad deſtinatum *Hippocraticæ* ætiologiæ penſum feſtinandum duximus, ſi tamen priùs in Therapeuticam *Williſii* methodum tamquam per tranſennam pauliſper introſpexerimus. Conſilium enim nobis non eſt, omnia ab eo dicta refellenda aſſumere, ſed paucula tantùm, quæ gravioribus in praxi erroribus anſam præbere poſſunt. Cujuſmodi inprimis eſt illud, quòd in
Cap. 4. pag. 48, & 58. *omnis Febris intermittentis principio phlebotomiam ex brachio ſuadeat, in progreſſu damnet:* cujus contrarium ratione & experientiâ facile eſt aſtruere. Si ènim, ut communis Medicorum fert opinio, à *Williſio* nondum, ut vidimus, enervata, continens intermittentium

cauſa in ramis venæ portæ & viſceribus ab illis irrigatis reſideat, nec illi rami ullibi ad cutem niſi circa anum erumpant, fruſtrà materiæ peccantis eductio per ſectam in brachio venam expectatur: Sed nec ſine damno fieri poteſt, cùm indè non leve immineat periculum metaſtaſeos Febris intermittentis in continuam; exinanita enim per ſectam brachii venam vaſa majora, ſanguinem impurum ex ramis venæ portæ ſugunt, Febrem continuam accenſurum, ut obſervat expertiſſimus *Platerus*. Obſervârunt idipſum & Medici antiqui, licèt veram ejus cauſam non omnes expreſſerint, aut fortè ſint aſſecuti; ideóque in intermittentibus phlebotomiam ante quartam ſaltem acceſſionem prohibent, quam nec tum permittunt, niſi emiſſo præſagio de proximo acceſſu vehementiore futuro. In diuturnarum verò intermittentium progreſſu, ſecùs quàm dicit *Williſius*, poſtquam ſanguinis maſſa tot paroxyſmorum conflagrationibus & inquinamentis incanduit & computruit, nihil ſanguinis miſſione ſalutarius, ut cuilibet experiri promptum eſt, & ego tum in multis aliis, tum præſertim in filio primogenito Illuſtriſſimi *D. Arundelii*, Sacri Imperii Comitis, & Baronis de *Wardour*, expertus ſum, quem ſanguine bis detracto à Quartana liberavi, quæ biennii ferè ſpatio Clariſſimorum Medicorum operam eluſerat.

Plat. de Feb. p. 110.

Cæterùm, ſi ſimul cum Febre intermittente præſens ſit plethora in vaſis majoribus,

ut aliquando contingit, nihil vetat ſanguinem parcè ex brachio detrahere, præmiſſâ tamen primæ regionis chatharſi leni dejectoriâ, vel emeticâ, nè ejus ſordes à vaſis majoribus alliciantur, & in Cordis thalamos rapiantur, unde ſyncope aut lipothymia poſſet ſupervenire; ut nonnunquam in quibuſdam continuis (ſyncopalibus ideo dictis) viſum eſt, propter bilem ex prima regione in vaſa majora, per venæ ſectionem depleta, tranſmiſſam.

Similiter quamvis Catharſin tum alviducam, tum emeticam, eradicativam ſaltem aut vehementem, inter intermittentium initia non niſi cautè aggrediendam, rectè affirmet; cur tamen eandem in progreſſu, poſt debitam totius proviſionem, morbificæque materiæ cicurationem, non admittat, paradoxum eſt, cui ratione vel authoritate aſſenſum conciliare debuit: mihi enim nihil indè periculi timendum videtur, quia *Hippocrates*, 2. de Morbis, in Quotidiana non ante nonum diem, in Tertiana autem poſt quartam acceſſionem, ſi morbus perſeveret, hoc eſt in utriuſque vigore, ac longè poſt initium; purgationem imperat; antè verò prohibet, niſi inſignis adſit cacochymia, ut patet ex lib. de Affect. p. 173. Editionis Fœſianæ: nam humores ſubacti & ad exitum parati (citra vim aut tumultum) educi poſtulant, ac poſſunt, imò debent, priuſquam febrifugorum uſus, à *Williſio* tantopere *laudatus*, ineatur, eorum præſertim quæ humores *figendo* paroxyſmos profligant: ità enim fixi & ſuppreſſi peccantes humores putreſierent

rent vel recrudeſcerent, vel ulteriorem ſaltem acrimoniam aut viſciditatem morâ contraherent, ægros in colicam, tabem, cachexiam, aliáque infinita mala præcipitaturam.

Verùm quàm cautus eſt & meticuloſus *Williſius* in Intermittentibus, quas genuina indoles & ἐνέργεια extra periculi aleam conſtituit, (ſi nullus error paulò gravior admittatur) tam eſt audax, nè dicam temerarius, in Continuarum Therapeia. Quamvìs enim in acutarum initiis nulla vomitoria aut cathartica, niſi omnino lenia & benigna, admittenda præcipiat; in augmento autem omnia cathartica, lenia pariter atque vehementia, eâdem induſtriâ quâ *Ventorum flamina ab ædibus incendio flagrantibus* arcemus, vitanda conſulat; paulò tamen pòſt, veluti ſui immemor, *in ægrorum* ſc. *hiſtoriis*, quas tamquam Canones aut prototypos ad noſtram imitationem proponit, non dubitat etiam quarto die ad infuſionis *Croci metallorum unciam* aut drachmas decem aſcendere; quod an in pharmacorum omnino lenium aut benignorum catalogo reponi mereatur, æquus Lector judicet.

Hanc praxin *Hippocraticæ* in Febrili orgaſmo conſentaneam imaginabitur fortè quiſpiam, qui initio purgandum præcipit, ſi materia turgeat: turgere autem exiſtimabit, ſi adſit nauſea, & ventriculi oppreſſio, ut in obſervationibus *Williſii* contigit. Verùm enimvero nauſea & ventriculi oppreſſio plerumque procedunt vel ab ejus phlegmone, vel ab irritatione à bile viſcidâ & tenace ejus tunicis

impactâ, unde ante coctionem difficulter educitur, idque citra Orgaſmum, quem non niſi raró contingere ibidem prudenter monuit *Hippocrates*; eâ ſcil. cautelâ temeritati
4. Aph. 10. noſtræ ſepem & obicem poſiturus, nè ſimilitudine nos decipi & in errorem pernicioſum per incogitantiam abripi pateremur.

Sed nec ſi adeſſet Orgaſmus, (cujus omnino non meminit *Williſius*) ad emeticum antimoniale, in tanta præſertim doſi, procedendum eſſet, cùm in materia vaga ac mobili orgaſmum concitante, ideóque facilè educibili, benigniorum aliquod, cujuſmodi ſunt Manna, Caſſia, Tamarindi, Catholicon & ſimilia, ſatis eſſet.

Præterea, Orgaſmus in quo celer eſt motus & præceps impetus ad quartum diem nequit extendi, quin priùs vel ſuapte indole exitum ſibi ἄνω vel κάτω præoccupet, vel in partem aliquam principem aut ignobilem irruat in alium morbum metaſtaſin facturus; unde *Hippocrates*, ut occaſionem errori præcludat, *orgaſmum primæ diei termino* concludit, ideóq; ſi purgandum ſit, αὐθήμερον purgare jubet. Quę autem citra orgaſmum contingit nauſea & oppreſſio ventriculi, per phlebotomiam, fotus, epithemata, enemata, aliáque id genus alterantia & revellentia aſſumpta & admota mitigari, & ad pepaſmum diſponi debet, abſque catharſi humores concitare, ac denuo confundere natá, quod Febris augmento & viſcerum tono pervertendo occaſionem præberet.

Tandem, quamvis concederemus morbo-

rum

rum tardioris motûs initium ad quartum diem extendi poſſe, ideóque tamdiu catharſi leviori locum eſſe; id tamen concedi non poteſt in orgaſmo, qui non niſi in peracutis contingit, nec in Febre intra ſeptimum vel octavum diem ſua tempora percurrente; cujuſmodi fùit illa Matronæ quinquagenariæ, cui quarto die *Williſius* unciam infuſionis Emeticæ exhibuit: ut neceſſe ſit morbum ſaltem in augmento fuiſſe, adeóque *Williſium* pharmacum, quod in initio etiam præſente orgaſmo minimè tutum exiſtimari poſſit, tamquam ſui canonis oblitum, exhibuiſſe in augmento, in quo *omnia cathartica levia pariter & vehementia eâdem induſtriâ vitanda conſulit, quâ ventorum flamina ab ædibus incendio flagrantibus arcemus.* *Cap. II. p. 115.*

Verùm enimvero Emeticorum in Febribus uſum tam infamem reddiderunt crebræ mortes & funera, ut, fatente *Williſio* in hiſtoria Juvenis ſtudioſi, tum ipſe æger, tum amici, *periculo priùs edocti*, Vomitorium à Medico quartâ morbi die propoſitum reſpuerint, licèt Vomitu ferè continuo infeſtaretur, à quo præcipuam propinandi Emetici indicationem ſumere ſolet *Williſius*. Et profectò in illo ægro jure optimo rejectum fuit Emeticum, quippe cui tum latus dextrum dolebat, tum utriuſque hypochondrii aderat diſtenſio, manifeſto phlegmones viſcerum indicio, quo in caſu Vomitorium procul omni dubio certiſſimam & citiſſimam mortem intuliſſet.

Mirum autem eſt quòd in ejuſmodi hypochondriorum dolorifica diſtenſione ac æſtu interno, Medicus iſte, quiſquis fuit, (nec enim ſuſpicari poſſum *Williſium* tàm inſani conſilii authorem eſſe potuiſſe) nulla partibus affectis topica applicuerit, quæ certè ſi applicata fuiſſent, non magìs ſubticuiſſet *Williſius*, quàm exhibitionem *hypnotici*, vel *ſpiritûs cornu cervini*. Sed Topicorum nulla in hiſtoriis *Williſianis* extant veſtigia, quæ tamen ad viſcerum contemperationem, & incendii in ipſo foco extinctionem, à ſanioribus Medicis unicè laudantur; quamquam illa tamquam quiſquilias plerique in *Anglia* Practici vel negligant, vel rideant.

Hîc non poſſum non advertere, altum eſſe in hac hiſtoria de pepaſmo ſilentium, abſque quo ægrum nono die perfectè judicari potuiſſe non eſt credibile, cùm, ut ait *Galenus*, primo de diebus decretoriis nec ſudores, nec vomitus: nec alvi profluvia, nec parotides, nec hæmorrhagia ante concoctionem venientia, morbum unquam per criſin finiverunt: cujus tamen non meminit *Williſius*, tam diligens ſymptomatum obſervator & relator. Meminit tamen in hiſtoria Matronæ quinquagenariæ, cui die morbi octavâ concoctionis quædam veſtigia in urina primùm apparuiſſe aſſerit, eâque ipſâ die per ſudorem perfectè judicatam fuiſſe: quam evacuationem criticam fuiſſe & meritò ſalutarem contendit, quia
pag. 117. illam, ità ut fieri debuit, hæc tria præceſſerant; *ſanguinis* ſc. *plena & ſufficiens deflagra-*

tio

tio triduo continuata; materiæ aduſtæ ad plenitudinem congeſtio nocte criſin præcedente, quam teſtabatur inquietudo & jactatio; ac denique ejuſdem materiæ pepaſmus, quem oſtendebant in urina concoctionis ſigna ſive veſtigia quædam, ut paulò antè dixerat. At unde conſtat id ità fieri debuiſſe? rationem enim nullam adducit. Sed fortè propriam authoritatem, ſpretâ *Hippocratis*, à nobis tamquam oraculum ſuſpiciendam exiſtimat. Fatemur quidem criſin non contingere niſi in morbis acutis, in quibus fiat humorum eccenſio: fatemur, imminente criſi, ægros inquietudine & jactatione affligi, quam perturbationem criticam vulgò dicunt; quam an ſatis appoſitè per materiæ aduſtæ congeſtionem expreſſerit, ipſe viderit: fatemur denique, concoctionis ſigna in urina criſin non tantum comitari, ſed etiam præcedere debere, idque ſaltem uno quaternione; adeóque criſin nullam ſalutarem & perfectam eſſe poſſe, niſi quæ tum die Indice fuerit ſignificata, tum contigerit die Judice, cujuſmodi perrarò eſt octavus, ut *Hippocratis*, *Galeni*, omniúmque ætatum monumentis & experimentis conſtat; quibus cur minor quàm *Williſianis* fides adhiberi debeat, non capio. *pag.* 115.

Atque huic ſententiæ ratio aſtipulatur: Materia enim morbifica dum adhuc cruda eſt bonis ægri rebus nequit expelli, ut hîc concedere *Williſius* videtur; ut coquatur autem, unum ſaltem quaternionem exigit, cùm Natura nihil repentinum agat, ſed gratim ad

morbi

morbi uſque incrementum materiam morbificam ſubigat, eâdémque ferè proportione ad excretionem præparet. Hujus autem Matronę morbus cùm non niſi quinto ad incrementum, & ſeptimo ad ſtatum pervenerit, nec dum
p. 117. aliqua concoctionis ſigna apparuerint, conficitur ante undecimum criſin ſalutarem contingere non potuiſſe: ut omnino neceſſe ſit, vel concoctionis ſigna citiùs apparuiſſe, adeóque *Williſium* hujus morbi motum *diligenter non obſervâſſe*; vel certè morbum die octavo non fuiſſe judicatum, niſi fortè tanta fuerit *decocti foliorum ulmariæ* præſentia, ut facultate febrifugâ, cæcæ Antiquitati abſconditâ, ſtatum naturæ terminum in *Williſii* gratiam perverterit; quod & *ſpiritum cornu cervi* in Juvene ſtudioſo propemodum conclamato præſtitiſſe quis dubitet?

Verùm quum hæc *Williſii* praxis felicem ſortita ſit effectum, fruſtrà in ejus refutatione laborem poſiturus videbor, cùm experimentis præcepta, non præceptis experimenta accommodare debeamus, ipſáque Medicina per Experimenta in Artem primò excreverit. At profectò ex experimento uno aut altero Canonem conſtituere non magìs licet, quàm ex una aut altera hirundine Vernum tempus colligere. Fuerit ſanè in hac Matrona idioſyncraſia aliqua *Williſio* unicè nota, cujus merito pervalidum Emeticum die Febris acutæ quar-
Cap. 11. to innoxiè ſumpſerit: Fuerit in Viro Clariſſi-
p. 117. mo tanta virium conſtantia, ut ſecundo morbi die Emeticum adhuc validius, infuſionis ſc.

eme-

emeticæ drachmas decem, ac poſtridie phlebotomiam liberalem cum fructu tulerit, (nec enim hiſtoriarum fidei derogare æquum exiſtimo.) Unius tamen *Williſii*, pauculos fortè annos ante conſcriptam Diatribam de Febribus medicinam exercentis, unum aut alterum experimentum tot ſeculorum experientiæ, tot Medicorum calculis confirmatæ, præhabere periniquum arbitror. Peragravit magnus *Hippocrates* potiores orbis terrarum partes, omnes *Græciæ* urbes diu & accuratè luſtravit, in regionibus frigidiſſimis, calidiſſimis & temperatis praxin ſe exercuiſſe *aſſerit*, in *Libya* ſcil. *Scythia* ac *Delo*; ſua & prædeceſſorum experimenta in Adverſaria retulit; ex illis præcepta, imò Artem conflavit, poſterorum obſervationibus & induſtriâ locupletatam, *Galeni* præſertim, Viri omnis literaturæ ſcientiſſimi, & mortalium diligentiſſimi, qui in celeberrimo Orbis theatro, in omnium gentium confluxu praxin exercuit, in tanta ægrorum frequentia, ut unâ æſtate quadringentos ſeptimo die à Febre per criſin liberatos ſe vidiſſe teſtetur; unde quantam ægrorum infinitatem aliis diebus judicatos conſpexerit, facile, imò difficile, eſt conjicere. In arte ab his Coryphæis exculta *Williſius* ſtabilia fundamenta deſiderat; quod ideo ait contigiſſe, quia poſteriorum Medicorum properum nimis & præpoſterum ſtudium ex *Hippocratis* & *Galeni* monumentis methodum generalem compoſuit: in hac, inquam, ſtabilia fundamenta invenienda negat; *ſtatuit* tamen pleroſque

Hipp. in fin. Prog.

Gal. 3. *de Dieb. critic.*

In Præf.

que Medicos ratiocinatione propriâ *novam methodum, novas* ſibi cudere *hypotheſes* poſſe ac debere, quibus *exactiùs* quàm vetuſtiori illi Febrium quadrent phænomena. Solos nimirum αὐτοδιδάκτους & ex machina Medicos ſuſpiciendos exiſtimat, qui ſcil. *in loca devia, & vaſtam ſolitudinem nullis calcatam veſtigiis, ſibi ipſi duces & comites, ſeceſſerint*, morborúmque curam & diagnoſin ubi non ſint homines didicerint; qui in Libris nihil quod ſatisfaceret invenerint; qui, *Williſii* ad exemplum, viva ſolummodo & ſpirantia exempla obſervaverint. Atqui optem ut *Williſius* etiam mortua exempla conſuluiſſet, paucóſque quos ejus felicitas magìs quàm Emetici in Febrium acutarum initiis exhibiti ſalubritas ſervavit, cum populo à Medicaſtris, Mulierculis, Agyrtis, Miniſtris, per Emetica in Febribus exhibita jugulato contuliſſet; deſtitiſſet proculdubio praxi tam peſtilenti exemplo & authoritate ſuâ patrocinari, mecúmque ſtatuiſſet civilem gladium in ſicarios & publicos graſſatores juſtiùs ſtringi non poſſe, quàm in ejuſmodi humani generis peſtem, qui ſine mulctæ metu aut conſcientiæ ſcrupulo tam projectè de humano ludunt Corio.

EPI-

EPILOGUS.

ACriùs *fortaſſe quàm debui, certè commotiùs quàm conſtitueram, in has Novitates invectus, veniam tamen meriturus mihi videor, quòd opiniones, non minùs cogitatu inconcinnas, quàm uſu pernicioſas in Medicinam introductas, citra quandam indignationem conſpicari non potui. Quid enim* ſucco nutritio *à ſanguine diverſo inanius fingi, quid* ſucco nervoſo *à veritate alienius dici, quid* ſanguine ſanguificante *vel credi inutilius, vel ſuſtineri improbabilius poteſt? Hæ tamen ſunt machinæ quibus moderni Athletæ* veterem Medicinæ ſtructuram demoliri & rudera complanare *profitentur: hæc novæ Philoſophiæ* jam primùm affulgentia ſunt Lumina, *in quorum evidentia non acquieſcere, perinde eſſe ac in* ipſa Luce cæcutire *affirmare non ambigunt: hæc tanquam Oracula non ſuſcipere*, inſignis pervicaciæ, quæque viros prudentes & Philoſophiam profeſſos minime deceat, *argumentum eſſe audacter pronunciant. Ac profectò* Lumina *ſunt*, *ſed* Ignis fatui, *qui imparatos animos percellit, ab attentis inanis deprehenditur:* Putrium lignorum *ſunt Lumina, quibus inadvertentiæ Nox fulgorem impertitur, accedente accuratioris ratiocinii* Sole *quantocyus extinguendum. Quantò igitur ad nominis gloriam illuſtriùs ad Reipublicæ Medicæ compendium utiliùs feciſſent Viri ampliſſimi, ſi in exhaurienda* Hippocraticæ πολυπλοκίας *abyſſo*

ingenii

ingenii fœcunditatem exercuiſſent? Cæterùm quam illi libertatem in novis Opinionibus *propugnandis, & Medicinæ Parentum authoritate deprimendâ aſſumpſerunt, eandem mihi in illis impugnandis, in iſta vindicanda, ut ſpero, non invidebunt.*

F I N I S.

HI-

HISTORIÆ

Aliquot

Medicæ Rariores.

HISTORIÆ
Aliquot
Medicæ Rariores.

Hiſtoria & Ætiologia Symptomatum quorundam perplexorum.

VIrgo lectiſſima, Clariſſimi *D. D. Joannis Webbe* Equitis Aurati filia natu maxima, annorum 26, ab ineunte ætate ichoroſâ totius ferè corporis ſcabie defœdata, illâ ante biennium ceſſante, poſt varia à variis tentata præſidia, ſub initium *Septembris* anni ſuperioris in Febrim graviſſimam incidit, quæ poſt ſectam venam in puſtuloſas veſicas deſiit. In Febre venter in tumorem ingentem excrevit, qui dictis veſiculis erumpentibus detumuit. Poſt Febrim ſatìs commodè viſa eſt habere, manente tamen ſiti & calidâ totius intemperie; ac licèt cibum appeteret, & pro appetitu ſumeret, vires tamen non recolligebat: quare Medicus tum præſens phlebotomiam iterum & catharſin celebravit, à quibus appetitus omnino proſtratus fuit, & ſitis aucta, eóque anorexias devenit, ut hactenus ad novem ſcil. menſes nihil in dies guſtare poſſit, niſi cyathum unum aut alterum juſculi tenuis & limpidiſſimi. Quum nec phleboto-

miæ nec catharſi malum cederet; eodem Medico conſulente potionem Emeticam ſumpſit, quæ in tantas illam conjecit anguſtias, ut moritura crederetur. Cùm piſciculum ſemel comedere aggrederetur, in vomitum enormem, vertiginem & lipothymiam conjecta eſt; cujuſmodi paroxyſmis ſubindè corripitur, præſertim ſi ad minimam temporis moram aëri ſe exponat, ac tum ſomnòlenta & torpida evadit. Vertiginem levem nunquam non patitur, & capitis latus ſiniſtrum dolet: aliquando leviter delirat, nonnunquam in riſum, & ſub finem in lacrymas funditur. Si quando oculi conniveant, non poteſt ſibi à multiloquio temperare: non rarò vomiturit, & inter vomendum molem quandam ſentit à ventriculo ad gurgulionem eluctantem, Sub octavam vel nonam matutinam quotidie ſudore diffluit; cui ſi non ſuccumbat, vel eum interdiu cohibeat, noctu redit, atque etiam poſtridie horâ conſuetâ. Alvo ſemper ferè aſtrictâ eſt, ſed urinæ pallidæ & crudæ magnam copiam reddit. Circa 14. annum menſes illi primùm eruperunt, ac debitis periodis ſemper repetebant, etiam cùm ægrotaret, niſi his tribus ultimis menſibus. Emaciata eſt ac debilis: ſed à ſex menſibus, licèt ſit omnino ferè ἄσιτος, ac quotidiano ſudore exhauriatur, vires tamen in eodem ferè ſtatu perſiſtunt. Tumorem habet duriuſculum non omnino indolentem in Epigaſtrio, à regione Cartilaginis enſiformis ad umbilicum in latere potiſſimùm ſiniſtro.

Hæc

Hæc morbi nobilem Puellam diu exercentis hiſtoria, ab ipſius & aſtantium ore fideliter excepta, conficere videtur dicta ſymptomata; licèt ſpecie diverſa, re tamen ab eadem pullulare radice, Pſorâ ſcilicet contumace, quæ à teneris annis, vel nutrimenti, vel ſeminis aut materni ſanguinis vitio, in corporis centro firmata, indéque identidem ad peripheriam delata, Medicorum operam diu eluſit, donec improbo tandem labore circurata magìs quàm ablata, cutim (cujus major fortè quàm ſalutis cura fuit) inquinare deſiit, & in viſceribus, velut anguis in herba, innoxia aliquantiſper ſatitavit, donec novo κακοχυμίας ſupplemento accedente fermentari, putreſcere, majorémque locum occupare cœpit; unde tumor ventriculi, meſenterii, partiúmque à ramis venæ portæ irrigatarum, & Febris à putridis μιάσμασι per vaſorum anaſtomoſes ad Cor, venam cavam & vaſa majora delatis. Erumpentibus veſiculis Febris deferbuit, & imminutus (non omnino, credo, ablatus) ventris tumor, parte videlicet tenuiore ſuccorum peccantium exhauſtâ, ſed craſſiore in ventriculo remanente, ibíque in abſceſſum degenerante, cujus merito ſitis & intemperies calida Febri ſuperſtes fuit, exhalationibus calidis ad fauces jugiter eluctantibus; quorum cauſam dum Medicus catharſi eliminare ſtudet, materiæ contumaciâ omnes machinas eludente, commotæ corporis univerſi impuritates, & in ventriculum debilem præcipites actæ, appetitum prorſus dejecerunt, & aucto per putreſcentiam incendio ſi-

tim intenderunt; quod ulteriùs ab Emetico fuit præſtitum, & viſceribus ante malè affectis nova clades illata. Solenne enim eſt omnibus viſceribus abſceſſu obſeſſis à catharticis malè affici, propter illorum tum acrimoniam, tum qualitatem malignam; quod in ventriculo maximè locum habet, eorum impetum intimè & ſine medio patiente.

Abſceſſum hunc crudum & ad ſuppurationem inceptum exiſtimo, putrem tamen ſingulari quodam putredinis modo, cujus ratione auram malignam jugiter exhalat tum per poros cutis, tum ad Cor & Cerebrum, diverſa in ſingulis partibus pro ſingularum diverſitate, próque malignitatis majore vel minore gradu, ſymptomata cauſantem. Igitur ſi in Cordis vaſa feratur, lipothymiam; ſi in plexum choroïdem & Cerebrum, vertiginem; ſi ad Mentis ſedem, delirium inducit; ídque cum riſu, ſi benignior, ſi malignior, fletum elicit.

Porrò cùm perennis fiat ſuccorum peccantium appulſus, ac propterea perennis ſit putreſcendi actio, fit ut jugiter fuligines undiquaque emittantur, quæ ſi expeditè per habitum corporis exeant, quædam fit ſymptomatum remiſſio; ſin poris ab ambientis frigore occluſis ad centrum denuo remigrent, ventriculi tunicæ illarum acrimoniâ vellicatæ ad vomitum irritantur, ex qua commotione violentior ſequitur fuliginum ad Cor & Cerebrum tranſmiſſio, unde lipothymia & vertigo, quod & à quocumque animi pathemate humores agitare nato contingere poteſt. Similiter

ter cùm vapores ad Cerebrum ſpiritus animales agitantes continuò ferantur, delirii authores; ſi oculis conniventibus ab objectis extrinſecis ſe cohibeat, ſpiritus inquieti intrò converſi & imaginationem excitantes nolentem ad loquacitatem impellunt.

Vomiturit frequenter, quia ventriculus tumore moleſto ac duro ſe expedire conatur; quo in conatu cùm fiat muſculorum ventriculi contractio, fit ut Oeſophagus, qui eſt ventriculi tamquam ἐκφυσις, deorſum trahatur; & in tractionis termino eluctantis ad gurgulionem, cui connectitur, molis ſpeciem exhibeat.

Sudat quotidie, quia cùm quotidie accedat novus ſeri proventus, tum propter vitiatam ventriculi coctionem, tum quia ſolis humidis veſcitur, & propter ſitim inexplebilem largo potu ſe ingurgitat, natura oneris impatiens ſuperflua & nutritioni inepta per ſudores & urinas expellit, ídque ſtatis periodis; nam cùm æquabilis ſit & conſtans ferè aſſumptorũ menſura, conſentaneum eſt in excernendi modo & tempore quandam analogiam reperiri: id autem manè potiſſimùm contingit, cùm per ſomnum à reliquis actionibus natura ferias agat, & alimentorum coctioni & recrementorũ ad excretionem præparationi accingatur. Illud admiratione non caret, quo pacto cum tantulo nutrimento ac tam profuſa evacuatione tamdiu vires antè debiles in eodem ferè ſtatu perſiſtant. An quia propter caloris nativi penuriam ignaviámque, & melancholici ſucci, quo partes quomodocumque nutriuntur, reſiſtentiam, exigua ſiat ſolidæ partium ſubſtantiæ

diſſipatio? quod tamen in ſubjecto quotidie ſudoribus diffluente vix concipi poteſt.

Torpore ac ſomno corripitur, ſi ſe aëri ad minimam moram exponat, narcoticis halitibus ex abſceſſu ad Cerebrum ſublatis,& exitu per Capitis ſuturas ab ambientis frigore prohibitis. Caput-dolet in ſiniſtro præſertim latere κατ' ἐξὶν Lienis & Pancreatis fuligines capiti communicantium.

Perplexâ multiplicium ſymptomatum ætiologiâ ità utcunq;expeditâ,prognoſis non multò eſt expeditior: Nam cùm ab abſceſſu non exactè ſchirroſo ventriculi & partium vicinarum tota ferè mali moles pendere videatur,& ejuſmodi ſchirrus Curam non omnino reſpuere cenſeatur; factum eſt ut Medicus quidam inſignis hanc ægram curandi nonnihil ſpei conceperit:ſed cùm tumor ſit in parte nobili & diuturnus, ac ſaltem annuus, (ut ego quidem arbitror, & conſentaneum exiſtimo ex ſymptomatum conſecutione) licèt à nullo quod ſciam ante me, qui non niſi nuper acceſſi, animadverſus, totúmq; corpus atrophiâ & virium exolutione laboret, & ventriculi orexis ſit omnino abolita; probabilius exiſtimo (quod tamen Deus avertat)dictum tumorem vel in ſchirrum exactum induratum iri,quem hydrops ultimæ neceſſitatis prodromus confeſtim ſequatur, vel in ſuppurationem & ulcus pari ferè utrobiq; periculo tranſitutum.

Sed cùm in ſuppuratione aliqua ſalutis ſpes eſſe poſſit, poſt tentatam contumacis tumoris emollitionem, quod à me pro viribus tam

per

per admota quàm aſſumpta malactica & reſolventia hactenus præſtitum eſt, habitò reſpectu ad conſervationem toni partium, ſi id non ſuccedat, in ſuppuratione promovenda inſudandum eſt: interim ſitis omni negotio compeſcenda, & orexìs excitanda, ac ſudoris (poſt evacuationes per Fpicraſin) ſupprimendi aliqua ratio ineunda, quod balneo aquæ dulcis tepidiſſimo ſeu minimè calido fortè impetrari poterit, quod habitûs corporis ſiccitatem corrigere, humorum ebullitionem compeſcere, & poros nonnihil condenſare natum eſt. Hoc autem aggredi ſine ulteriore conſultatione, Medicorúmq; in Artis operibus exercitorum approbatione, omnino Author eſſe nolo.

Strabiſmus. 4. *Calend.* Octob. 1653.

VIr Nobilis *D. Franciſcus Cotton*, ſexagenario minor, habitûs gracilis ac texturæ raræ, hepatis calidioris, cerebri verò & ventrili impenſè frigidi, à 5 vel 6 annis patitur diſtorſionem oculi ſiniſtri verſus Canthum majorem; adeò ut pupilla ſiniſtra idem cum dextra planum non obtineat, proindéque objecta, quorum ſpecies recipit, gemina apparent: admotâ verò manu ad oppoſitum naſi latus in Cantho minore oculi dextri, ſiniſter oculus ad naturalem ſitum recurrit, ubi ſi paulò diutiùs æger manum contineat, vertigine corripitur; cui etiam obnoxius eſt ſi inter equitandum concitatiore motu feratur, vel ſi frontis, ſincipitis, aut temporum latus ſiniſtrum paulò fortiùs

tiùs comprimat; quinimo in eadem regione dolorem quendam diſtenſivum ex compreſſione, ac totius ſiniſtri lateris debilitatem percipit, non ſecùs ac ſi hemiplegiâ laboraret.

Diſtorſio illa ſive Strabiſmus oritur à paralyſi indignatorii ſeu abducentis muſculi ſiniſtri & muſculi oppoſiti antitaſi: nam cùm muſculi omnes contractionem appetant, eam tamen aſſequi non poſſint, propter muſculos oppoſitos in diverſa trahentes, contingit muſculum ſanum ad originem ſuam retrahi ceſſante contratenſione muſculi antagoniſtæ. Hinc patet cur in hoc ægro oculus ſiniſter debitam repetat poſitionem, manu adverſo naſi lateri applicatâ: nempe quia iſtâ manûs applicatione muſculi dextri abducẽtis recurſus impeditur, ac proinde cùm non fiat violentior antitaſis, muſculus infirmior naturalem tonicum motum recuperat. Hinc etiam colligitur muſculum hunc ſiniſtrum non niſi imperfectâ paralyſi corripi, ac ſaltem debiliorem reddi, quum ſi abſolutè reſolveretur, ſponte ſuâ ad naturalem ſitum nullatenus reverteretur. Illud difficultate non caret, cur redeunte ad naturalem ſitum oculo ſiniſtro, vertigo ſequatur. An quia materia flatulenta in muſculo vel illius nervo contenta, à muſculi recurrentis motu agitata, in Cerebri ventriculos & plexum choroïdem irruat, & ſpiritus animales exagitet? Hinc etiam colligitur muſculum abducentem ſiniſtrum non verâ, ſed ſpuriâ paralyſi corripi, aut potiùs convulſione Epilepſiæ prænunciâ; niſi dicamus affectum eſſe mixtum ex paralyſi & ſpaſmo:

ſmo: nam ſi vera & perfecta eſſet paralyſis, nullus ſubeſſet dolor, nulla actio, nullus oculi ad proprium ſitum recurſus, occluſis à pituitoſo humore nervi meatibus, & ſpirituum animalium tranſitu impedito: ſi ſolus flatus adeſſet, nervum in latitudinem diſtenderet, & breviorem efficeret, ac potiùs à Cantho majore abduceret, quàm ad illum adduceret. Reliquum eſt igitur dolorem compreſſivum & vertiginem à flatu muſculi, reſolutionem ab humore nervum emolliente provenire.

Affectum hunc primò ſympathicum fuiſſe veriſimile eſt ex conſenſu ventriculi debilioris ac flatulenti, accedente Cerebri dyſcraſiâ frigidiore: progreſſu verò temporis idiopathicum factum evincunt perpetua in Cerebro querela & corporis medietas ſiniſtra debilior.

Quod attinet ad Prognoſin, cùm affectus ſit antiquior & æger debilis ac ætate provectus, Cura perdifficilis eſt futura; nè tamen in Epilepſiam aut Paralyſin abſolutam, vel etiam Apoplexiam degeneret, præcaveri poſſe ſpes eſt. Cætera ſunt Therapeutica, quæ hîc deſcribere operæ pretium non eſt.

Rarum Criticæ Evacuationis Exemplum.

JOannes *Knight*, Civis *Briſtolienſis*, circa menſem *Martii* anno 1663 correptus fuit Febre acutâ cum dolore lumborum lancinante, nec non totius corporis æſtu, jactatione & inquietudine. Secundo decubitûs die vocatus phlebotomiam liberalem ex utroque brachio,

ad vaſa majora exoneranda, & ex ſaphena, ad revulſionem à lumbis faciendam, impero; quibus Febris nonnihil imminuta fuit, dolórq;& anxietas quieverunt. Poſtea morbo cum pepaſmi indiciis deferveſcente, nono die perfectè judicatus eſt magno ſanguinis fluxu per virgæ canalem, nec non excretione tubulorum quorundam tenuium ſanguine refertorum, quartam ulnæ ſeu virgæ menſurariæ partem longitudine ſuperantium, qui lumbricos teretes, quales pueruli ſolent per alvum excernere, exactè referebant: quos cùm aſtantes non ſine admiratione conſpicarentur, veróſq; lumbricos exiſtimarent; ego, inciſis illorum quibuſdam, comperi non fuiſſe lumbricos, ſed tubulos membraneos ſanguine refertos, ſanguine, inquam, ad venarum figuram, ut arbitror, in corpore conformato, cui lumborum calor membraneum illud involucrum obduxerat.

Cephalæa Veſicatorio, & Suffuſio erumpentibus Variolis curata.

VIrgo lectiſſima, *D. Maria Moore*, ex illuſtri *Thomæ Mori Angliæ* olim Cancellarii proſapia oriunda, cùm oculorum Suffuſione laboraret, & Cephalæâ quâ per multos annos detinebatur, *Aquis calidis* conſilium à me petiit: cui (poſtquam varia tentâſſet præſidia, atque etiam Thermis & ſtillicidio fruſtrà uſa eſſet) capillis raſis Veſicatorium amplum, quod tum ſinciput tum occiput comprehendebat,

debat, applicui: unde immenſâ excitatâ veſicâ, dolor quidem Capitis evanuit, nec ampliùs redivit, ſed abſoluta cæcitas ſuborta eſt; quę tamen, magna ſeroſi humoris copiâ per Veſicatorium excretâ, intra biduum ablata eſt, remanente tamen Suffuſione priſtinâ: cui curandæ cùm medicamenta parùm profutura crederem, donec in perfectam Cataractam condenſaretur, tempus opportunum & idoneum Artificem cataractarium ut expectaret monui. Sed quum non ità multò pòſt in Variolas incidiſſet, & in Capite præſertim quamplurimæ erupiſſent, etiam Suffuſionis materia, ut veriſimile puto, ſimul cum Variolis excluſa fuit, ut jam ab utroque morbo feliciter liberata ſit.

Tibiæ utriuſque Caries, Cute integrâ.

ANno 1655. Mulier illuſtris *Aquas calidas* conſilii cauſâ ad me acceſſit. Querebatur de utriúſq; Tibię cruciatu intolerabili, quem à tribus annis fuerat perpeſſa. In partibus affectis nullus ad tactũ dolor, nullus tumor, nulla cutis diſcoloratio: tanta autem ac tam diuturna fuerat dolorum atrocia, ut in Febrim lentã & Maraſmum illam deduxerit. Multos *Londini* & ruri Medicos & Chirurgos conſuluerat, diætam ſudorificam ex Guaiaco nec non Ptyaliſmum pluries percurrerat. Tandem ad *Thermas* relegata in pejus ſemper ruebat. Ad ultimum ego vocatus Cariem in oſſibus ſubeſſe affirmo, non niſi Tibiarum per totam longitudinẽ inciſione & oſſis carioſi exemptione cu-

randam. Crudele remedium ejus amicis viſum eſt; ipſa tamen ægra, cui magìs in votis fuit mori quàm in ejuſmodi tortura vivere, obnixè rogare ut Curam aggrederer, quod per id tempus mihi à *Cromwellianis* Decimatoribus in exilium relegando aggredi non licuit. Quapropter Cauſtica potentialia Tibiis admoveri curavi, profunda quidem, ſed ad os non penetratura, ſperans putrilaginem eouſque forſitan nondum perveniſſe. Cauterii applicationem ſequuta eſt inſignis ichorum evacuatio, ac dolorum ad tres menſes ceſſatio. Sub hyemem autem iterum recruduerunt, méque tum ab exilio revocatum ut Curam iterum ſuſciperem ægra rogavit, reluctantémque & hyemis inclementiam cauſantem tum propriis, tum amicorum precibus expugnavit. Admotis igitur utrique Tibiæ Cauteriis ſecundùm earum longitudinem, à ſummitate quâ genubus committuntur uſque ad metatarſum, & poſtea carne & perioſteis ſcalpello diviſis, oſſa ad ſpecilli contactum inſtar cribri pertuſa comperta ſunt, quibus per catagmatica præſidia à carie liberatis; oſſium fragmentis quinque vel ſex digitos tranſverſos longis nonnunquam abſcedentibus, Cura feliciter intra 5um menſem abſoluta eſt. In hujus curationis progreſſu, cùm hyems eſſet aſperrima, ægra autem vires haberet propemodum proſtratas, partiúmque ulceratarum tonus ferè labefactatus eſſet, Chirurgum & Pharmacopœum ſeriò monui, nè unquam ulcera tractarent non præmiſſo fotu corroborante; quod

cùm

cùm ill aliquot dies me abſente neglexiſſent, reverſus ægram exanimem, breviſpiram & ἀπόπνουν deprehendi: quod cùm non ſine magna conſternatione conſpexiſſem, nec dum cauſam tantæ alterationis intellexiſſem, ulcera detegi curavi, ut quid rei eſſet diſcerem. Detectis tibiis, non jàm ulcera, ſed carnem quaſi omnino ſanam comperi ſine purulentia, tumore aut quacumque inæqualitate; unde conjeci humores ad partes affectas fluere conſuetos, ad viſcera & reſpirationis organa anadromen feciſſe: cúmque Chirurgo ulcera tractante obſervâſſem illum omiſiſſe fotum & interrogâſſem quamdiu illum intermiſiſſet, audio nullo fotu illum fuiſſe uſum à 7 vel 8 diebus; cui neglectui præſens protinus aſcripſi incommodum, Chirurgóque & Pharmacopœo graviter increpitis, fotibus iterum ſedulò incumbi jubeo; unde brevi ulcerum labra molliter tumere, puris copiam excerni, dyſpnœam levari, appetitúmque reſtitui non ſine gaudio conſpexi. Hæc ideo notata volui, ut advertant ulcerum curatores, quanti interſit robur ac tonum partium affectarum conſervare, quod à pleriſque negligi video.

Raræ Metaſtaſeos Exemplum.

NObilis quidam *Camber* per 4 aut 5 annos Fluxu alvi, nunc cruento, nunc ſanguinis experte, cum gravibus Ventris torminibus laboraverat, qui ſi quando ſiſteretur, quantumvìs præparato corpore, identidem recurrebat. Huic, cùm *Aquas calidas* ad me acceſſiſſet, Thermarum & ſtillicidii uſum præ-

ſcripſi, ratus humores acres & ſeroſos tum in toto abundare, tum à Capite in hypochondria depluere, quos natura ejuſmodi fluxu conſueverat amandare. Poſtea ad integrum ferè annum ſatìs commodè habuit; ſed redeunte poſtea fluxu iterum *Aquas calidas* conceſſit, mihíque narravit meliùs qùidem ſibi fuiſſe, ſed pediculorum gregem, dum bene haberet à Fluxu, in capite ſenſiſſe, redeunte autem Fluxu pediculos ampliùs non viſos: quod priorem conjecturam confirmavit, affectum nempe à Cerebri intemperie humida originem ſumpſiſſe. Quare Thermas iterum & ſtillicidium ad menſem imperavi, ac poſtea emiſſarium in brachio & crure, nec non Emplaſtrum cephalicum, aliáque cerebrum exiccantia; quorum uſu jam à tribus annis ab utroque affectu liber remanſit.

Puer Lumbricos per Canalem Virgæ excernens.

COgnovi *Briſtoliæ* paupérculæ mulieris filium duodecennem, qui ſemel in menſe, & aliquando ſæpius, poſt duorum vel trium dierum dyſuriam multos Lumbricos per Virgæ canalem ſolebat excernere. Præſcripſi illi cathartica & ſpecifica contra Vermes, & diuturnum aquarum fontis tepidi S. *Vincentii* uſum; quo cùm aliquamdiu uſus fuiſſet, rariùs illo affectu tenebatur. Poſtea ad Inſulas *Americanas* in quibus conficitur Nicotiana conceſſit, nec ampliùs de eo quidquam audivi.

Hydrops

Hydrops Pectoris; déque communione partium Spirabilium cum Genitalibus.

HEnricus *Appleton*, Civis *Briſtolienſis*, menſe *Julio* anni 1664 conqueri cœpit de Orthopnœa, cujus occaſione ſomnum capeſſere non poterat, ſed ſemper erectus ambulare cogebatur, niſi fortè in cathedra ſedens prono pectore paulisper aliquando quieſceret, ut præ nimiis vigiliis ſummam virium jacturam ſit paſſus: pulſus interim ſatìs robuſtus, lentus & æqualis erat, appetitus mediocris & urina laudabilis, nec omnino ſitiebat, unde viſcerum tum naturalinm tum vitalium integritas ſignificabatur. Poſtquam aliquamdiu laboràſſet, ego vocatus, cùm intellexiſſem illum contenuâ quidem dyſpnœâ detentum, eâ tamen præcipuè affligi cùm ad ſomnum ſe componeret, Hydropem pectoris adeſſe pronunciavi; cúmque pluribus negotiis diſtractus *Briſtoliâ* frequenter abeſſe cogerer, ut alium Medicum vocaret ſuaſi, meam illi operam non defuturam pollicitus, quoties per itinera liceret. Multa illi præſcripta fuerunt alterantia & cathartica hydragoga, nec non topica pectori applicata; ſed in Emeticis præcipuum experiebatur levamen, fugax tamen illud & parúm permanens, nam intra unum aut alterum diem relabebatur. Hidrotica, quia in lecto recumbere propter dyſpnœam non poterat, non præſcripſimus. Quum

autem quodam die illum viſitarem, narravit mihi ejus Uxor, ſuperiore hyeme illum gravi catarrho laborâſſe, quo ſponte evaneſcente ſcrotum illi tumuiſſe, quem tumorem topicis quibuſdam applicatis citra catharſin aut aliam totius præparationem diſparuiſſe. Hinc conjecturam feci, ſeroſum humorem catarrhi materiam primò à pectore ad ſcrotum metaſtaſi factâ, tandem à ſcroto ad pectus palindromen feciſſe, ut fecilis eſt & frequens partium Spirabilium cum Genitalibus conſenſus, & è contrá: quapropter dum adhuc viſcera eſſent incorrupta, apertionem lateris ad ſeri eductionem, ut in Empyemate fit, conſului. Sed illo id remedii genus averſate, ſuaſi ut ſaltem in utroque inguine permitteret excitari fontanellas, poſt cucurbitulas & veſicatoria frequenter ibidem applicata eâ ſpe ut ſerum à pectore ad ſcrotum eâdem quâ aſcenderat viâ remearet. Et cucurbitulæ quidem ſemel fuerunt affixæ, non item veſicatoria, nec excitatæ fontanellæ, quia vel æger ipſe, vel Medici fortè præſentes adverſabantur. Intereà dum in levioribus tempus teritur, ſitis intendi, appetitus proſterni, pedes tumere, pulſus in crebrum, debilem & intermittentem mutari, morte non ità multò pòſt ſecutâ. Cadaver, ut audivi, apertum (nec enim interfui, nec ægrum viſitavi à quo tempore fontanellas admittere reſpuerat) capacitatem thoracis ſero fœtente refertam, pulmones ſphacelatos, ventriculum & hepar putria & livida conſpectui exhibuit, ſero propter diuturniorem in thora-

ce

ce moram putreſcente, & putrilaginis contagium primò vicinioribus,ac tandem etiam remotioribus viſceribus communicāte. Ex ejuſmodi viſcerum putredine concluſerunt Medici aſtantes,in inguinum emiſſariis,ſi fuiſſent excitata, nihil fore præſidii; quod tamen in principio factum, quamdiu viſcera erant incorrupta, ut ex actionum integritate conſtitit, feliciorem fortè eventum ſortitum fuiſſet.

Obſervabilis eſt in hoc ægro ſeri à pectore ad teſtes deſcenſus, ejuſdémque à teſtibus ad pectus recurſus; qui manifeſtam facit *Hippocraticam* communionem ςηθέων, μαζῶν, γονῆς, φωνῆς, 2. Epidem. ſectionione primâ, quo in loco aſſerit *Hippocrates* tuſſes diuturnas teſtium tumore ſolvi, & è contrá. Hæc autem communio, ut ait *Valeſius* fit per venæ mammariæ per rectos abdominis muſculos deſcendentis cum aſcendentibus ex utero anaſtomoſin in fœmellis, quibus analoga in viris vaſa reperiri no eſt quòd dubitemus.

An verò per eaſdem vias fiat expurgatio vomicæ Empyicorum quæ fit per urinam, conſiderationem meretur: nam ductus & brevior & expeditior eſt quàm qui celebratur per venam azygon ad emulgentes, & conſtantior quàm qui, *Riolano* referente, attribuitur *Nicolao Sammichaelio*, per ramum à cava in pulmones deductum, vel *Bauhino*, per ramum à vena arterioſa in emulgentes deſinentem; quum hi poſteriores vel incertis nitantur teſtimoniis, vel in omnibus non reperiantur.

Cepha-

Cephalæa cum totius Cranii Carie ex Lue Venerea.

UXor cujuſdam *Hurdi*, in *Cromwelliana* Perduellione militum Tribuni, conſilii cauſâ ex *Hiberniâ* venit ad me. Laboraverat Cephalæâ Venereâ octo aut circiter annos, & ſæpius tum diętam ſudorificam percurrerat, tum ad ſalivationem perducta fuerat. Ut primùm illam conſpexi, judicavi Cranium Carie affectum fuiſſe, proindéque ad cauterium & exſoliationem oſſis properandum dixi: Sed cùm cutis circumcirca Ichoribus ſcaturiret, & quodam quaſi livore obſita eſſet, conjeci totum Cranii ambitum fuiſſe carioſum; nec ſatis potuit conſtare an Cerebrum vel meninges eſſent immunia, nec ubi potiſſimùm affigendum foret cauterium, cùm totum Caput æqualiter affectum appareret. Cauterio igitur omiſſo, ut aliquod ſaltem illi levamen adferrem, veſicatorium in toto Capitis ambitu applicui, quod magnam ſeri fœtentis colluviem extraxit, & præſentaneam dolorum ceſſationem attulit, adeò ut illa ſe ſanatam prædicaret. Sed prædixi illi tum dolores redituros, tum nullam ſupereſſe ſpem Curam abſolvendi. Illam itaque ad Maritum remiſi; interim veſicatorium ſecum detulit, cùm recrudeſcerent dolores applicandum. Quid poſtea egerit, neſcio: audivi tamen illam, ejúſque Maritum, intra annum obiiſſe.

Odor Cadaveroſus.

VIR quidam Nobilis, quoties vino incaleſcit, odorem ſpirat cadaveroſum, ſibi ipſi & aſtantibus valde gravem; ſed Uxori graviſſimum, quoties in Venerem accenditur. Id ipſe mihi confeſſus eſt *Aquis calidis* 18 *Junii*, anni 1658. quod ſibi dixit accidiſſe ex oſculo Conjugis quam in primis nuptiis duxerat: illi ſiquidem, mortuæ & quatriduanæ, paulò antequam efferretur, oſculum dederat, à quo propter fœtorem ſibi continuò moriendum exiſtimavit. Quomodo autem ejuſmodi oſculum hujus effectûs tamdiu continuati cauſa eſſe potuerit, explicatu eſt arduum. An quia miaſma ſive effluvium quoddam craſſum & viſcidum, à cadavere putreſcente expirans inter oſculandum, [illegible]avitatem aliquam ſeu porum oſſis Ethmoïdis penetrans ibidem hæret, innoxium & inodorum, donec corpore incaleſcente agitatur & accenditur?

Ulcus Abdominis, Inteſtina tum craſſa tum tenuia penetrans, ſanatum.

UXor *Waſſoni*, artificis horologiarii *Briſtolienſis*, tumorem habuit ingentem in Abdomine è regione umbilici, qui ſuppuratus & apertus magnam puris ſatis laudabilis copiam effudit. Dum ægrotaret, à compluribus Medicis

dicis & Chirurgis, quia paupercula erat, gratis viſitabatur. In Curationis progreſſu aliquando portio chyli, nonnunquam & fæces cum pure exibant; unde Medicis, quorum ego unus eram, innotuit ulcus Inteſtina tum craſſa tum tenuia penetrâſſe. Convaluit tamen præter omnium ſpem, & poſtea fœtus aliquot vivos & valentes peperit.

Hydrargyri noxæ Thermarum uſu exaſperatæ quo ingenio cicuratæ.

ILluſtriſſima D. D. *Fairefax*, quum ante aliquot annos ex metaſtaſi doloris Colici in Paralyſin incidiſſet, vel potiùs paralyſeos ad colicam facta eſſet epigeneſis, poſtea in manuum pedúmque ad motum impotentiam & contractionem incidit, ex intempeſtiva (ut accepi) ſudorum provocatione in corpore cacochymo nec ſatis præparato; cui ad mali cumulum acceſſerunt dolores artuum & habitus corporis cum continua & pertinace agrypnia, aliiſque graviſſimis ſymptomatis; quod contigiſſe veriſimile exiſtimo propter ſuccorum viſcidorum & acrium partem non exiguam à centro ad peripheriam inter ſudandum evocatam, Clariſſimis igitur Medicis fruſtrà in conſilium adhibitis, nullóque apparente doloꝛum exitu, medicaſtro quodam conſulente Hydrargyri uſum admiſit. Perſuaſum enim habent juniores Medici, aliique non pauci, quamcumque humorum acrimoniam

dolo-

dolorificam hydrargyro miteſcere, totámque ſanguinis maſſam dulceſcere: quod quàm erroneum ſit, non levi ſuo damno experta eſt Illuſtriſſima Domina. Nam præterquam quòd dolores nullatenus remiſerunt, etiam graviſſima dyſpnœa ſupervenit, ut parùm ab fuerit nè ſpiritum omnino intercluderet: quod contigit tum propter medicamenti, malè fortè præparati, cum partibus ſpirabilibus inimicitiã, tum præſertim propter vim ejus ἀνάῤῥοπον ſuccorum vehementem ad pectus anadromen facientis. Quare ablegato medicaſtro, duos Medicos Regios, Viros excellentiſſimos, D. D. *Georgium Bate* & *Alexandrum Fraiſer* Equitem Auratum, conſuluit, quorum prudenti operâ à præſente periculo liberata, & ab Orci, ut dicitur, faucibus erepta fuit, ſuperſtite tamen conſuetã dolorum atrociã; quos ut aliquando conſopire daretur, *Aquas calidas* ad Thermas tanquam ad ſacram Anchoram confugit, ubi Viri Clariſſimi D. *Joannis Maplet*, Medici item Regii extraordinarii, operâ uſa eſt. Verùm quamvis omnia ad Thermarum uſum prævia rectè adminiſtrarentur, tamen quum primùm Thermis immerſa eſſet, non ſolùm dolores multò acriores redierunt, ſed & ſalivatio de novo excitata fuit, non aliter quàm ſi hydrargyrum iterum ſumpſiſſet, quod tertiò, quartò & ſæpius contigit. Tandem ego etiam vocatus acceſſi, initóq; cũ *D. Maplet* conſilio, communibus ſuffragiis è Thermis abſtinendum cenſuimus: & quum nullus eſſet dolorũ aut ſalivationis finis, tum ad cruciatus ſopiendos,

dos, tum ad humorum fermentationem à balnei calore excitatam compeſcendam, tum ad Mercurii malignitatem cicurandam, ad anodyna confugiendum eſſe putavimus. Nè tamen ex illorum uſu maligni humores aut vapores in ventriculo aut inteſtinis retinerentur, deoppilantia & cathartica nec non Mercurium ſpecificâ virtute educentia anodynis immiſcenda judicavimus: ita enim fore ut ſingula, licèt ſimul juncta, diverſo tamen debitóque tempore vires ſuas exererent, neutrúmque alteri eſſet impedimento, quum magiſterii opiati qualitas volatilis paucarum horarum quieti concedendarum ſpatio expiret, reliquorum virtute integrâ. Quæ intentiones ſucceſſu non caruerunt: nam & ptyaliſmus ceſſavit, & dolores mitigati ſunt, & appetitus redditus, & vires refocillatæ, ut Catharticorum uſum commodè ferre potuerit, quæ antea citra fructum ſumere, & cum moleſto vomitu rejicere conſueverat.

Ad Ornatiſſimum Virum, D. J. H. *Diſſertatio per Epiſtolam, in qua de Venæ ſectione in Extenuatis.*

Vir Ornatiſſime,

QUamprimùm à te diſceſſi, ut mandatis tuis obtemperarem, confeſtim *Sariſburiam* conceſſi, aditóque Viro Clariſſ. D. *H. G.* illi tum opinionem meam de Conjugis tuæ Lectiſſimæ valetudine, tum præſidia à me imperata

perata candidè aperui, enixéque rogavi, ut pari candore innoteſcere mihi pateretur quid ipſe de utroque ſentiret; quod (ſi bene memini) ad hunc modum præſtitit. Totum mali fomitem ſtatuit inveteratum & ſcorbuticum meſenterii infarctum, cujus occaſione jugem fieri ſeroſorum humorum proventum exiſtimat,quorum eliminationem aggredi per Hidrotica (quæ tenuiores tantùm partes exhaurirent, craſſioribus interea majorem tenacitatem acquiſituris) nefas cenſet, non ablatâ priùs obſtructione, quam expeditu impoſſibilem exiſtimat. Alio etiam titulo diſplicent illi Sudorifica, quia, ut arbitratur, Lectiſſima Domina hæreditario jure in Hecticam proclivis eſt. Scrupulum etiam illi movet Venæ ſectio in ſubjecto adeò non plethorico, ut nimis ſit tenue & excarne: nec probat uſum Pilularum quarumcumque in corpore ſicco, quarum ſcil. ingenium ſit impenſè exiccare.

Ego equidem maximi ſemper feci ac porrò facturus ſum clariſſimi Domini doctrinam & ſolertiam, ab eoque non niſi illibenter diſſentire poſſum: In hoc autem argumento non poſſum non profiteri diverſam mihi ab illo mentem eſſe. Nec enim meſenterium magis peccare exiſtimo, imò fortè minùs, quàm hepar reliquáq; ſanguificationis organa, quorum intemperiem non calidam & ſiccam, ſed calidam & humidam agnoſco, cujus merito ſanguinem conficiunt calidum & ſeroſum, qui, cùm ſit ad nutritionem ineptus, à partibus non attrahitur, ſed in vaſis ſtagnans fermentatur,

putre-

putreſcit,malignamque atque Ichoroſam naturam induit: in qua fermentatione fuliginoſi vapores in cordis thalamos irruentes non levem illi moleſtiam creant,unde ſpirituum fit ab ambitu corporis ad centrum revocatio, ut parti tam nobili afflictæ eant auxiliatum, frigore interim partes externas ſpiritum vivifico calore deſtitutas occupante: ſed incendium in penetralibus paulatim invaleſcens à centro tandem ad extremitates erumpit, inque illis calorem excitat eò uſque affligentem, donec fomes partim abſumptus, partim in vapores attenuatus, vel madore manifeſto cutim humectet, vel inſenſibili tranſpiratione expiret: pabulum abſumptum temperiei æqualitas & valetudinis ſerenitas excipit,donec novo Ichorum provētu collecto, fermentationi de novo occaſio præbetur. Atque hinc oritur caloris & frigoris viciſſitudo Febrium intermittentium paroxyſmis non abſimilis, ſed brevioribus intervallis diſtincta. Eadem pleonexia ſeroſa, vel ejus ſaltem vapores mordicantes,è venis & arteriis in nervos & muſculos delata,motus convulſivos vagóſque dolores excitat,quales in arthritide vaga nonnunquam obſervantur.

Cacochymiam hanc ſeroſam, poſt debitam præparationem per alterantia & evacuantia manifeſta & ſpecifica, hidroticis ægræ viribus & tolerantiæ proportionatis commodè debellari poſſe ac debere exiſtimo.

Meſenterium obſtructum non diffiteor; id enim tumor à me paulò ſub hepate in latere dextro nuper obſervatus oſtendit. Humorem au-

autem illum recentem eſſe arbitror: ſi enim antiquus eſſet, proculdubio detectus fuiſſet à Clariſſimo Domino, qui tam multis annis ægram habuit cognitam. Si verò recens ſit, non capio quo argumento illum incurabilem eſſe poſſit oſtendere: imò ſi aliqua ejuſmodi obſtructio inexpugnabilis ſubeſſet, quæ adeò invaluerit ut Febrim propemodum continuam accerſiverit, quomodo fieri potuit ut viginti annorum ſpatio nullibi tumorem ſcirrhoſum aut aſceſſum purulentum commiſerit, hydropemve aut cachexiam invexerit?

Similiter ſi Perilluſtris Domina à viginti annis intemperie hecticâ laboràſſet, credibile eſt morbum jam adeò deploratum eſſe debuiſe, ut nec de ſalute ſperandi, nec de diagnoſi diſputandi locum relinqueret. Sed nec habitûs tenuitas diſpoſitionem hecticam ſemper oſtendit, aut abſolutè phlebotomiam contraindicat: Nec plethorica vaſorum majorum diſtentio inconſiſtens eſt cum muſculoſę carnis & habitûs corporis atrophiâ. Videmus enim in Rheumatiſmis, & quibuſdam atrabiliariis diſpoſitionibus, nec non in arthriticis quibuſdā macilentis, venę ſectionem adeò non extenuare habitum corporis, ut brevi poſtea pingueſcant, & vegeti ac carnoſi evadant: quod confirmatur authoritate *Hippocratis*, affirmantis in *Oeniadis* virum quendam ſummè extenuatum & tabeſcentem ſanguine dum fieret exanguis extracto curatū fuiſſe. Authoritati Ratio aſtipulatur, Quia in Rheumatiſmo (à quo caſus preſens non admodū abludit) ſanguinis craſis uſq; *5. Epid.*
adeò

adeò vitiatur, ut in partium nutrimentum faceſſere nequeat, quapropter in vaſis ſtagnat & putreſcit; ſi quid autem ad partes appellat, vix aſſimilatur, ſed pro majore parte in ſudorem aut halitus tranſit, unde partes tabeſcunt: ejuſmodi autem putri Ichore per venæ ſectionem depleto, tum ipſi ſanguini reliquo, tum partibus debita temperies reſtituitar, ægríque ſubitò impinguantur. Cujus rei quamplurima exempla tum in hominibus tum in aliis animantibus obvia ſunt, ut veterinariis medicis tam notum eſt quàm quod notiſſimum.

Illud autem conſiderationem mereri fateor, quòd aiat multos Perilluſtris Dominæ conſanguineos Hecticâ obiiſſe: quamquam id ipſum in omnibus contingere debere neceſſe non ſit, fieríque poſſit, ut iſti ejus conſanguinei non verâ Hecticâ, ſed hujuſmodi intemperie primùm laboraverint, quam quũ Medici non ſatis perſpectam haberent, morbum in hecticam atrophiam deſiiſſe. Sed quicquid ſit de illis, in hac certe ægra nulla Febris hecticæ indicia hactenus apparuiſſe perſuaſum habeo.

Quod de Pilularum qualitate exiccante affirmat, ut in vera Hectica, imò & in conſtitutionis ariditate etiam citra Hecticam, locum habere poſſit; in intemperie certè humida (qualem hanc ego ſuppono) nec venæ ſectio, nec ſudores, nec pilulæ, me judice, meritò damnari poſſunt. Quum verò venæ ſectionis aut ſudorum mentionem facio, neminem ad eorum nomen expavefactum volo. Venæ ſectionem enim, non illam *Hippocraticã* ad ſanguinis ſc.

ex-

exhauſtum & animi celiquium, intelligo, (eò ut procedam, tum hujus ætatis teneritudinem draſtica præſidia non ferre gnarus, tum *Hippocratis* authoritatem & judicium ſupra hominem mihi deeſſe conſcius, abſtieeo:) ſed parcam & per intervalla repetitam; ſudores item non continuos aut copioſos, ſed exiguos & lenes & raros, prout à me præſcriptos Dominatio tua jampridem novit.

Ornatiſſime Domine, explicatâ Viri Clariſſimi opinione, meíſque ad illius rationes enarratis reſponſis, adverto ulteriùs Clariſſimum Dominum monere magis quid non ſit agendum, quàm quid agendum ſit ſuadere: ideo fortè quia de ſumma rei deſperandum exiſtimat: quod etiam ex dictis facilè colligi poteſt. Si enim omnia Nobiliſſimæ ægræ ſymptomata à meſenterii obſtructione pendere ſupponat, & ipſam obſtructionem incurabilem procunciet, divinatu obvium eſt quid indè concluſum velit. Quod ad me attinet, quamquam aliter ſentiam, tantum tamen mihi non tribuo, ut opinionem meam à te amplectendam expectem, niſi præ Clariſſimi Domini rationibus mearum apud te firmitas prævaluerit, &c.

Excellentiſſimo D. D. Franciſco Prujean, *Medicinæ Doctori*, *Facultatis Medicorum* Londinenſium *Expræſidi, & Equiti Aurato.*

Excellentiſſime Domine,

QUod jamdudum factum oportuit, ut ego tua in me beneficia recolerem, meámque gratitudinem verbis ſaltem, quum re non poſſim, teſtatum facerem, id demum quamvìs ſerò, præſtitum boni, ut ſpero, conſulet Dominatio tua, ignoſcétque verecundiæ meæ ad aram tuam ſine libamine accedere non audentis. Hoſtiam autem adfero tibi, ut auguror, non ingratam: fortuitam ſcil. detectionem Zetematis non ignobilis de cauſa Caloris Thermarum noſtratium, cujus inveſtigatio clariſſimos diu exercuit. Illuſtriſſimus D. D. *Farfaix*, qui jam *Aquis calidis* cum Conjuge valetudinaria hæret, cùm nudiuſtertiùs apricandi cauſâ non procul ab Urbe obequitaret, caſu offendit cretam quandam nivei candoris, ſparſim è terrâ in exiguis cumulis emergentem, ad inſtar terræ à talpis egeſtæ. Hujus portionem domum attulit, mihíque ac D. *Ioanni Maplet* Medicinæ Doctori oſtendit. Friabilis eſt, & ſponte ferè in ſcobem læviſſimam abit: ſaporem exhibet manifeſtè acidum ſine aſtrictione; ſed paulatim mordicat, ac inflammatoriam ſtrangulationem in faucibus parit, ut

ut non dubitem illam multo calcantho abundare, nec eſſe omnino arſenici expertem. In frigidam effuſa confeſtim ebullitionem vehementem concitavit, non ſecùs ac ſi calx eſſet viva; & pedetentim aqua vehementer incaluit. Quum hæc creta in Thermarum vicinia reperiatur, veriſimile exiſtimo aquam thermalem hoc igne caleſcere. Non ignoro Authores paſſim Thermarum calorem ſulphuri aut bitumini aſcribere: Verùm quamvìs negari non poſſit magnam bituminis copiam in noſtris ſcaturiginibus reperiri, iíſque noſtras Thermas abundè imprægnari convincat cura Scabiei, Lepræ, Ulcerum, Tremoris, Paralyſeos, &c. dubito tamen an eorum alterutrum fermenti aquam calefacere nati rationem habere poſſit, quum utrumque aciditate fermentationis opifice deſtitutum ſit, neutrum verò in aquam conjectum fermentationem aut calorem producere poſſit: & quum eorum conſiſtentia tenax ſit & viſcida, bituminis præſertim, ut aqua in minimas eorum particulas expeditè ſe inſinuare non poſſit, fit ut ad ejuſmodi fermentationem ſint inepta; cujus contrarium in conſiſtentia friabili & minimè cohærente hujus cretæ contingit. Locus ubi hoc foſſile fuit inventum, terra eſt ſpongiæ inſtar poroſa, ut facilè appareat illud florem eſſe ſive ἀπόκρισιν mineralium fermentantium, unà cum ζυμοποιητικοῖς ſpiritibus eluctantem. Verùm quid in hac obſcuritate potiùs ſtatuendum ſit, tuo judicio ego libenter ſubjicio, &c.

Captain *Cole*'s Caſſe.

Novemb. 15. 1662.

*F*Oraſmuch as Captain William Cole's *Death hath given occaſion of diſcourſe unto many, and is variouſly reported, I thought good, for preventing of miſ-information, to publiſh a true Narrative of what particulars concerning him came to my knowledge, with my Obſervations thereupon; which I ſubmit to the cenſure of all knowing and unbiaſſed perſons.*

About ten years paſt Mr. Cole *had a Tumor about his Navell of the nature of a* Steatoma, *which was cured by Inciſion by Mr.* Henry Paul,*who took out of it a ſubſtance very like unto the Burre of a man or beaſt.*

After ſome years it grew again by degrees, and and came to be greater then at firſt. Herein Mr. Cole *took advice with his Father-in-Law, Doctor* Ieremy Martyn, *and with Mr.* Paul, *deſiring to be cured by Inciſion as before; which it ſeems the Doctor would have diſſuaded him from; but the Patient himſelf, and Mr.* Paul, *incouraged by their former ſucceſs, were forward to have it done: whereupon I was called to adviſe joyntly with the Doctor and Mr.* Paul. *Finding therefore that the Tumor was white of colour, ſoft of conſiſtence, without any veſſels appearing in it other then*

very

very ſmall ones, and almoſt capillary, and being aſſured by the Patient and Chirurgion that it had been ſucceſſfully cut before without pain or bloud-ſhed that was conſiderable, I gave my vote for inciſeing; whereunto Dr. Martyn *freely conſented, without whoſe aſſent it may well be thought it would not have been done, becauſe of his relation to the Patient.*

In purſuance of this reſolution, the Operation was begun on or about the ninth of Octo-ber *by Mr.* Paul, *in preſence of Doctor* Martyn, *my ſelf and others. The* Cutis *onely being divided croſſe wiſe, which did lay open unto us a great deal of ſubſtance very like a Burre or* Pancreas, *and (as the Chirurgion aſſured) in all points ſuch as he had found it the firſt time; I preſently urged to have part of this ſubſtance extirpated, which was very eaſie to be done, it being altogether void of feeling, and of ſo little ſolidity, that an obtuſe inſtrument did paſs through it every where without almoſt any reſiſtence: but one Cutaneous Vein (for none at all appeared in the inſide, nor any drop of bloud) yielding a ſmall proportion of bloud, the operation was by Doctor* Martyn *put off untill the next day's dreſſing, and a courſe taken to ſtop the bloud. But that night the dreſſing falling off, it bled again ſomewhat more then a ſpoon-full; whereupon Doctor* Martyn (*who was near at hand*) *applied a potential Cauſtick to it.*

Next day it was more difficult to take out the Burre then at the firſt opening: for the

Vein that was cauterized happened to be in the middle angle of the croſs Inciſion, ſo that without lacerating it anew, no conſiderable portion could be taken out the communication betwixt both ſides being taken away by the interpoſition of the Cauſtick. To remedy which, I propounded that another ſhort Inciſion ſhould be made above the cauterized angle, that, without touching the Cauſtick, way might be made for communication between both ends: I further propounded, that, to prevent a further affluence of bloud, a vein might be opened in the Arme: Both which were aſſented unto, and accordingly done. Then the Chirurgion thruſt in a Spatula *under the skin all about, to ſeparate the skin from what was contained in it, which he performed without any difficulty: whereupon he and I renewed our inſtances to proceed in the extirpation, but could not pervail with Doctor* Martyn, *he much preſſing, and at length prevailing with us, that a large Cauſtick ſhould be applied to one ſide of the Inciſion, with intention (ſaid he) to make uſe of an inſtrument on the other ſide, if the Cauſtick did prove ineffectual. After raiſing the Eſchar, I would have hat it divided, and what was mortified taken out; but Doctor* Martyn *would needs expect the falling of the Eſchar, which took up five or ſix days. In the interim the Patient had ſeveral fits of griping pains*

in

his Belly , and ſomewhat a greater ſwelling then before about his Navell , which made me ſuſpicious of inflammation in the Guts.

During this time the other ſide , where no Cauſtick was applied, began to incarnate ; nay new fleſh was ſo far grown over the burry ſubſtance, that without a new Inciſion & deeper then the former little or nothing could be gotten out, and the Eſchar being fallen off, we found the Cauſtick had done no effect as to wath it was deſigned. I moved to Doctor Martyn, *that without putting in more obſtacles ſome more effectual courſe ſhould be taken, or the Tumor permitted to heal up , and the Patient left as he was found. To this laſt the Doctor readily aſſented , being that it ſeems he had projected by putting ſo many rubs in the way.*

That day , being the ſeventeenth of October , *I left the Patient to Doctor* Martyn's *care, with intention to ſee him no more , who ordered him as he pleaſed untill the firſt of* November *at night , when in Doctor* Martyn's *abſence I was called again , and found him fainty, diſtemper'd and miſerably griped in the belly , in which caſe he had been almoſt two days , as they told me. Before I went to him , Doctor* Martyn's *Apothecary had given him ſome Clyſters, which fetcht away good quantity of bloud.*

The ſecond of November *at night he voided a black ſtool , which being told me the next morning , I concluded a Gangrene in ſome of the Inteſtines. Upon the fourth he died,*

and being embowell'd, there was a ſmall Rupture found in the Peritonæum *, and one of the Guts engaged therein, and diſcoloured.*

The matter of fact thus truly enarrated, it remaineth that it be diſcuſſed, Firſt, whether the Tumor was curable or not? and if ſo, whether it ought to have been attempted or no in this particular ſubject? Secondly, whether by Inciſion or Cauſticks? Thirdly, whether the Rupture and Gangrene that ſucceeded ought to be attributed to the Inciſion? and Laſtly, whether any, and what Errors were committed by the Phyſicians and Patient?

The Firſt point is quickly cleared, firſt, by the univerſal ſuffrage of all Phyſicians and Chirurgions, who reckon a Steatoma *amongſt Tumors eaſily curable, if it be prominent, as this was, and not immerſt in the fleſh, becauſe ſuch immerſion may hinder the Inciſion. And to this opinion of Phyſicians and Chirurgions is conſonant their conſtant and ſucceſsfull practice in all Ages atteſted by thouſands of hiſtories of that nature. But, ſecondly, we need ſeek for no further proof hereof then Mr.* Cole *himſelf, who was happily cured of the ſame Tumor in the ſame place before; which alſo demonſtrates that the Cure ought to be attempted in this particular perſon, and might have had the ſame ſucceſſe as formerly, if unreaſonable impediments had not been given.*

If

If it be ſaid, that the caſe of Mr. Cole *was not alike now, and at firſt, the Tumor being greater and himſelf more aged; to this I reply, That incomparably greater Tumors of this nature have been exſcinded, as we have ſeen, and an infinite number of hiſtories in good Anthors evince; and he being not 50 years old, and his body ſtrong and luſtie, his age could be no hinderance, if his body were prepared, which point I mean to diſcuſs.*

To the Second point I ſay, That potential Cauſticks are improper and ineffectual in caſes of that nature, becauſe the flaccidity and moiſture of ſuch Tumors dulls and enervates the activity of Cauſticks, ſo that they can have no conſiderable effect as to matter of extirpation, though their venemous quality might have penetrated further, and induced Inflammation and Gangrene, eſpecially in parts of a weak temper and ſmall natural heat, ſuch as are the Peritonæum *and the Inteſtines; which was the reaſon offered by me for exciſion againſt Cauſticks, and admitted by Doctor* Martyn: *neither doth any known Author mention the uſe of Cauſticks in order to the extirpation of Tumors of this nature, though many uſe them in cutaneous hard Tumors, and in Wenns and Cancers, which are ſolid renitent Tumors, and quite different from our caſe.*

It is true, that Cauſticks are uſed for opening of Impoſtumes, to mortifie the skin, that it may be pierced without pain, to let out the

quitter; but it is not expected that they can have any influence upon the quiiter it ſelf.

As to the Third point, I ſay that I conceive it irrational to attribute the Rupture in the Peritonæum, *or Gangrene that ſucceeded in the Inteſtine, to the Inciſion, which onely divided the skin, and did penetrate no further; and yet it is evident that the ſaid Rupture and Gangrene occaſioned the Patient's death. If it be ſaid that the part inciſed, or rather the Tumor within, might with ill ordering acquire a maligne quality; I acknowledge it, and deſire the blame may light where it ſhould, that is, on him that hindered the ſpeedy extirpation of that ſubſtance before it could come to contract ſuch malignity. But in this caſe the Tumor deſigned for extirpation was not at all gangrened, and therefore could not communicate it to the Inteſtine.*

As for Errors committed, which is the Laſt point, theſe may be of two ſorts; the Phyſician's, and the Patient's.

On the Phyſician's part; firſt, I queſtion whether he had ſufficiently prepared his body for ſuch an operation. It's true that Doctor Martyn *pretended to have done it carefully: but upon the* hæmorrhagia *that happened at the Inciſion, he being blouded and the bloud appearing corrupt, and much of diſtemper and plenitude appearing in his body, I made bold to enquire of the Doctor how he had prepared him, who replied, he had twice blouded him*

and

and twice purged him. Now I leave to any Phyſician to judge, whether againſt ſuch an operation, in a body ſo full, in one that had been ſo plentifull a feeder and drinker, a ſolemn alterative cathartick and diaphoretick courſe of many weeks, or months, ſhould not have preceded, to prevent Gangrene, or other accidents that might ſurvene. If it be demanded why I did not take order for preparing him farther; I anſwer, that I was called in onely to ſee the operation done, and the Doctor having pretended to have done it before, I might well imagine he would not omit ſo neceſſary a thing, ſince he had demurred upon the matter all the Summer and Harveſt before.

A ſecond Error I judge it to be, that the Inciſion being made, and nothing done in order to the evacuation of the contents, but time procraſtinated, the adjoyning parts muſt have been weakened and made more ſuſceptible of bad accidents, to which the venome of the Cauſticks muſt have contributed very much.

A third Error I eſteem the want of Stupes in Winter-time in a corpulent perſon of a cold and phlegmatick conſtitution, and a flaccid and membranous part, which though at firſt extorted by me to be uſed, were after by Doctor Martyn'*s order diſcontinued.*

Laſtly, I hold it an unexcuſable Error, to attempt the healing of that ſore whereinto a Spatula was put between the skin and

what was contained within the skin, without dividing that skin, and making way for medicines to come immediately to the part ſo ſeparated, which otherwiſe might probably gangrene or fiſtulate: and I leave it to all perſons that are knowing in things of this nature, to determine whether if a Grangrene had ſurvened, this one overſight might not with reaſon be reputed the principal, if not the onely cauſe. Nor can this overſight be attributed to any but Doctor Martyn*: for ſince the reſolution of healing the ſore was taken up, I ſaw the Patient no more in a fortnight's time, that is, untill the firſt of* November, *when he was almoſt in the pangs of death.*

Notwithſtanding all this, Doctor Martyn *doth magnifie himſelf for not readily condeſcending to the Inciſion, To this I ſay, firſt, That the Rupture and Gangrene of the Inteſtine either was before the Inciſion, or ſurvened after. If it was before the Inciſion, Doctor* Martyn *deſerves no praiſe for not conſenting the Inciſion upon that ſcore; for he never ſuſpected any ſuch thing: and all the reaſon he offered in oppoſition to it was, his fear of bleeding, which we have ſeen how vain it was. If the Rupture ſucceeded the Inciſion, it muſt have happened through ſome other cauſe: for what-ever may be ſaid of the Gangrene, ſure the Rupture cannot be attributed to Inciſion or Cauſtick. Secondly, I ſay it is not probable there was any at firſt, but ſurvened through the Patient's own fault; for if there*

were,

were, more ſymptoms of it would have appeared, as ſtopping of the Excrements, Vomiting, and the like, which happened not untill his laſt Fit. Laſtly, I ſay that if there were a Rupture at firſt, a very good courſe might have been taken to help it, if Doctor Martyn *had permitted the burry ſubſtance about it to be taken away, that ſo it might be diſcovered and found out: but as for the Gangrene in the Inteſtine, it is evident is was recent, ſince it did not ſpread above an inch or two, nor contained any ichorous moiſture, the colour being but onely changed; and it is probable that it was occaſioned by flatuouſneſs and cold contracted in the dreſsing for want of Stupes.*

To theſe Errours of the Phyſician may be added a principal Error of the Patient, who, finding gripes in his Belly, did with great violence with both hands thruſt in his Belly on both ſides, whereby the parts about his navell muſt have been violently thruſt out whic h violence alone might have occaſioned, and did, in all probability, occaſion the Rupture, as may appear by the bloudy ſtool he ſoon after voided.

If any doubt whether Mr. Cole *did doe any ſuch violence to his Belly: beſides that he confeſs'd it to me in the hearing of ſeveral perſons, the Chirurgion can teſtifie it, who finding him acting of it, reprehended him: nay the Patient acknowledged to Mr.* Paul, *that he had done himſelf a great deal of wrong.*

To

To conclude; As I attribute the Rupture to the Patient's Errors, ſo I dare juſtify that the Errors here laid to Doctor Martyn's *charge may have much contributed to the Gangrene: whereof if he think good to clear himſelf, he may doe well to doe it in writing.*

Dated the 15 of November, 1662.

Edm. Meara.

Foraſmuch as it is commonly bruited by Doctor Martyn *and his Emiſſaries, that the Tumor lately inciſed in Mr.*Cole *was gangren'd: I do hereby teſtifie, that I (having embowell'd Mr.*Cole*) found the ſaid Tumor freſh, well-coloured, and without any Gangrene, but that I found one of the Inteſtines ingaged in the* Peritonæum *and diſcoloured.*

Witneſs my hand, this 15. of November, 1662.

Henry Paul.

Recidiva Hydropis lethalis.

B*Almannus* ille, quem in Examinis Cap. 2 memoravi poſt profuſam gingivarum hæmorrhagiam in Hydropem incidiſſe, tam prodigiosè intumuit, ut utrumque crus cum femore ingentis veſicæ aquâ limpidâ plenæ ſpeciem exhiberet, corporis humani magnitudinem ſuperantis: Abdomen autem adeò erat durum & diſtentum, ut muſculorum

culorum tum thoracis tum abdominis motum omninò impediret, cum tanta dyſpnœa, ut ad ſingulas horas ſuffocandus videretur. Decreveram tibiis Veſicatorium admovere, ſed cunctabundus, nè Grangræna ſequeretur. Dum inter ſpem & metum hæſito, ecce tibiam ſiniſtram incredibilem ſeri copiam veſicâ ſponte ruptâ effundentem: quare braſſicæ folia cruri impono, quæ ſerum tam potenter eduxerunt, ut quatridui ſpatio totum corpus detumuerit, redeunte ſpiritûs libertate, appetitu, colore genarum florido, ac tantâ virium redintegratione, ut de integra convaleſcentia nullatenus dubitaremus. Interim exiguus tumor remanſerat circa malleolum dextrum, cui dum veſicatorium applicare differo, totum Corpus unius noctis ſpatio adeò iterum tumuit, ut priorem molem ſuperaret; ut miraculi inſtar ſit, unde tam repentè tanta ſeri copia in corpore emaciato ſuppeditari potuerit. Obiit intra biduum.

Boulimos.

ANno 1657, cum eſſem *Londini*, cognovi virum quendam Lienoſum, qui cum dimidiâ à liberali prandio horâ domum reverteretur, tanta derepentè correptus fuit fame, ut ad tabernam vicinam divertere, & cibis ſe iterum explere fuerit coactus. Domum reverſus gravi quatuor horarum ſomno corripitur; excitatus inſignem diarrhœam patitur, unde bidui ſpatio centies alvũ depoſuit citra virium

virium jacturam. Hæc ſymptomata à bile acida ex Liene in Ventriculum ἀθρόως effuſa, cibóſque corrumpente & fundente, nec non univerſi corporis ſuccos concitante, proveniſſe exiſtimo: quod advertant qui negant ſuccum melancholicum ad appetitum excitandum per vas breve in ventriculum ferri, & aliud humoris acidi receptaculum oſtendant: nec enim in hujus ægri ventriculo præfuit, alioquin continuum boulimon excitâſſet.

Ab Auris Ulcere Guſtatus deperditus.

Circa idem tempus *Briſtoliam* reverſus quandam mulierem ab Auriculæ ſiniſtræ Abſceſſu liberatam deprehendi, ſuperſtite tamen Guſtu omnino abolito, effuſis (ut conjeci) Ulceris ſordibus ad Aure in tertii Paris nervos (Guſtûs authores) per ramulum quintæ Conjugationis coaleſcentem cum tertio Pari propè maxillarum articulationem. Curata fuit fotibus diſcutientibus, fumigiis & injectionibus per ſyringam in auris penetralia factis. Linguæ nulla admota Topica, quam alienâ tantum culpâ affectam exiſtimavi.

Hi-

Hiſtoria Morbi quo obiit Illuſtriſſimi D. D. *Poulet*, Baronis de *Himton*, Filius natu minimus; à Clariſſimo D. D. *Ioanne Bidgood* delineata.

F*iliolus ſeptennis Illuſtriſſimi Baronis de* Hinton*, ob varios in victu errores, doloribus inteſtinorum jampridem obnoxius,* Novembri *elapſo, vomitionibus porraceis, alvi fluxu putrido, æruginoſo interdum & variegato tentabatur; Febre inſuper ex-acerbationibus, ſub nocte, cum anxietate, morſu ventris, nauſeâ, ſtridore dentium, frigore extremorum, ſitique inexplebili ſtipatâ. Per totum morbi curſum intractabilis, peſſimè ſe habuit ad oblata, medicamenta pariter & alimenta ex gratiſſimis quibuſcumque conflata incredibili faſtidio rejiciens; ſolis Gelatinis ex Cornu Cervi & raſurâ Eboris in Cereviſia tenui ſolutis refocillatus; quas etiam ſæpiſſime, præmiſſis ructibus aliquot acidioribus, anxius exſtomachavit. Fauces interem aphthis & albicante mucilagine uſq; ad linguæ radicem conſpurcabantur.*

Theoria Morbi.

D. D. Meara *memorata Symptomata, & una cum materia membranoſa (ut ſequitur) rejecta,*

rejecta, de Phlegmone & Sphacelo Ventriculi hæſitantem tenuerunt: Eam tamen non eſſe, ex nobilitate partis affectæ morbum tam lethalem in tot dies productum ferendo imparis, ex partium neceſſario conſentientium incolumitate, ex Euphoria denique ad ejectionem conſequente, paſſus eſt ſibi perſuaderi. Ob ſimilitudinem potius ſubſtantiæ, materiam jam proxime Lumbricorum formæ diſpoſitam, vel forſan particulas eſſe Lumbricorum putredine fractas, majori cum veriſimilitudine conjecimus.

Obſervata & Inſtituta.

Circa octavum morbi diem accerſitus ſum, conſentiente autem D.D. Meara Briſtolienſe, *ad expurgandam morbi mineram in primis viis malignitate vermiformi putreſcentem. Infuſum Rhabarbari craſtino mane exhibendum decernebatur, præſertim coctione quâdam in urinis apparente.*

IX. Quo ſepties ferebatur alvus, excretionibus ſummum incendium redolentibus, ſub nocte tamen ingraveſcebat Febris conſuetis comitata ſymptomatis.

X. Summo mane ſubſtantiam quamdam nigricantem, viſcidam & quaſi cutiformem, ſumma cum inquietudine evomuit, ex quo ſedatior aliquantulum ad ſomnum ſe compoſuit. Nox eadem.

XI. De-

Xi. Delirus in lecto contineri noluit; Laudano verò opiato ſub nocte conſopitus ſibi reſtitutus eſt.

Xij. Conſimilis materiæ ſemel ac iterum cum priori moleſtia portio ejiciebatur.

Xiij. Xiv. Nauſea, vomitus & diarrhæa aliquantulùm ſedabantur, ità ut appetitu quodam ad juſcula incitari videbatur. Exacerbationes (quas habuit) nocturnæ omnino ceſſabant, niſi quòd pro ſtridore dentium, narium pruritus continuo ſcalpendi impetu urgebat.

Xv. Sedatis igitur, vel in totum ſublatis, quæ maximè urgebant ſymptomatis, veniâ datâ, diſceſſimus; Pharmacopœo interim junctis conſiliis, Infuſum Rhabarbari repetendum, nec non Cardiaca ſelectiora, quæ magìs (intractabili adhuc Infanti) accepta ſperavimus, decernentes: aquam deinde Caponis cum Scolecobroticis deſtillandam ad fercula ordinaria curavimus.

XX. Decies dato pharmaco ferebatur, nocteque ſequenti refocillatus mulierculárum curæ à Pharmacopœo tradebatur. At! at! quod per diem unam vel alteram delituit venenum, jam tandem majori cum ferocia excanduit, ità ut perſeverante fluxu, rebelli certè & colliquativo, emaciatus, ad ſenium quod Philippi *vocant & maraſmum ducebatur.*

XXviij. Denuo vocatus, in tam ſtupendâ

penda macie ſummâ quâ potui fide & diligentia Indicationi vitali totus incumbo. Cæterùm de felici eventu omnino deſpondens, in morbo pariter ac ægro intractabili, & ad oblata qualiacumque immorigero, modis tamen & viis omnibus quibus licuit contendimus. Cataplaſmatis præſertim, anodynis & roborantibus, τὰ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦτρον *munimus. Analepticis exanguem reſtimimus, præcipuè Laudano opiato tamquam ſacrâ anchorâ hæremus, ſine quo continuo egerendi conatu fatigato, vel minimas parare inducias impoſſibile duximus. Hiſce tentatis, alvus ſuprà quàm ſperari potuit denuo ſiſtitur, regio abdominis mollior & plenior aſſurgit; excrementa, quæ bis tantùm vel ter in die dejecit, coqui parumper & ad mediocritatem quandam reduci videbantur; perſeverante tamen nauſeâ & rerum omnium faſtidio; ſeſéque per intervalla prodit peſtis cum fluxu bilioſo, ſincero, pingui, ſpumoſo, fœtido conſpicua, & ipſiſſimis viſceribus radicitus impacta.*

XXXvii°, Materiam jam quartò vermiformem rejecit; unde continuò rebus in peſſum euntibus, novo opus eſſe conſilio, ſi quidquam adhuc ſupereſſe remedii ſperaverint, illuſtriſſimis Avunculis propono.

XXXviii°. Clariſſ. D. D. Dikes *per nuncium accerſitus, vixdum auditâ Hiſtoriâ, conceptæ opinioni dè morbi Cauſa calculum ſuum*

ſuum adjecit; de Prognoſi autem paulò confidentior, fluxum iſ. um pernicioſum nec frænari poſſe nec deberi pronunciavit, nec exangue ſceleton renutriri, niſi veneno in ipſa culina & organis nutricatui inſervientibus hærente per cathartica profligato. Vicit viri ſententia authoritate ſuâ & longo artis uſu comprobatior, feliciori forſan omine obeunda in principio morbi & conſtantibus viribus, ubi nec macies, nec facultatis lapſus cæteris ombus intentionibus urgentiùs præpolluere. Eâdem nocte Mer. D. cum reſ. jalap. in ſyr. Garyoph. propinabatur. Frequenter dejecit fœtida & pinguia, ſine evidenti virium jactura. De vermibus autem ſollicitus, eóſque medicamento parere nullus dubitans, repetitionem hortatur pulveris , & infuſionem Hydrag. vice Julipii.

Xli, ſummo manè ſub priori regimine adminiſtratur ſedes ut antè, ſed in minori (ut par fuit) quantitate & majori moleſtia. Sub nocte levi deliquio, tremore manuum & motûs impotentiâ affligebatur. Hinc vino albo Valeriolæ conceſſo, & Laud. opiat. gr. I. *ad ulteriòrem ſpirituum diſſipationem præcavendam, ſomno ſe commiſit.*

Xliv, ſub manè, ſudor diaphoreticus tempora, & frontem occupavit, qui poſt horam unam vel alteram laxatis ſpiraculis per totum corpus calidiuſculus erupit. Sub veſperi, recreato parùm & ad motum habiliori,

Car-

Carnes vitellinæ (poſcenti ſanè) offerebantur: quas tandem ſucco ſpoliatas expuit, noctémque ſentiit inſperatò prægreſſis auſpicatiorem, ceſſante forſan naturâ, & indomitæ peſti ſuccumbente.

XLV. Hæc interim tamquam læta auguria, D. D. Dikes, *unà cum Illuſtriſſimo Patre (hactenus rebus publicis vacante) in ulteriora erigunt tentamina. Sub nocte repetitur pulvis compari regimine, minori tamen evacuatione, ità ut naturâ penitus deficiente, nihil ultrà periclitari placuit, præſertim Doctore ſe ſubducente, & ad alia negotia, veniâ tamen conceſſâ, transferente.*

XLIX. Manè ſanguis tenuis & ichoroſus tamquam ex liquamine pulmonis reciprocatione ſpiritûs per aſperam arteriam in os ferebatur, linteis intromiſſis emulgendus. Horâ tertiâ pomeridianâ frigidum & exangue ſimulachrum tamquam exuvias depoſuit Nobilis Infans, ſpes & dolor Parentum, ævo, ſi per Fata licuit, digniſſimus.

Anatome Defuncti.

In aperto Cadavere, rudi & inexercitatâ manu aperto, quæ obſervari poterant, hæc ſunt.

I. *Ecchymata circa muſculos tranſverſos.*

2. Pe-

2. *Peritonæum nigricans & putridum.*

3. *Omentum ſicut & Meſenterium extenuatum & omni pinguedine ſpoliatum.*

4. *Ventriculus laxus & inanis.*

5. *Inteſtina flatibus diſtenta , pellucida , excrementis vacua, internis quinetiam tunicis & fibrarum omni genere exuta.*

6. *Ileon colore flavo variegatum.*

7. *Hepar in parte concava lividum, Veſicula fellis quintuplo quàm par eſt tumidior.*

8. *Pulmones exuſti, aridi & mucilagine albâ obducti.*

9. *Cordis ventriculus ſiniſter ſanguine grumoſo repletus.*

10. *Venæ majores vice ſanguinis ſero refertæ.*

Hactenus D. *Bidgood.*

Ego ſanè cùm conſpexiſſem dejectiones fœtidas, pingues cum obſcuro virore nigricantes, nec non materiam vomitu rejectam carnis putridæ ac nigricantis fruſtulis ſimillimam, fateor me non tam hæſitanter quàm confidenter pronunciâſſe Nobiliſſimum Puerum correptum fuiſſe Phlegmone & Sphacelo vel ventriculi, vel alterius cujuſpiam viſceris ventriculo vicini, eúmque in conſenſum trahentis ; unde frequens nauſea & pertinax anorexia : ſed quum aliis aliud videretur , & conſiderâſſem ſigna abſceſſuum in viſceribus latitantium non ſemper eſſe oſtenſiva , ac promptum non eſſe partium ſubſtantiam putrilagine lique-

liqueſcentem à muco verminoſo, vel materiâ in vermes abiturâ, diſtinguere, nonnulláque in hoc ægro ſymptomata conſpicerentur non minùs affectibus verminoſis quem viſcerum abſceſſibus communia; ſtatui nec meis votis, nec aliorum placitis pertinaciter obniti, ſed quamcumque rationem quantumvìs ambiguam, unde aliqua ſpes ſalutis quæ in viſcerum Sphacelo nulla eſt) affulgeret, amplecti; præſertim quum ægri vires nondum penitus concidiſſent, ideóque omnino deſerendus non videretur. Qua propter ut morti, alioquin inevitabili, Elminthagogis occurretur, conſenſi.

Quàm rectè autem conjecerim viſcus aliquod putrilaginem concepiſſe, ſatìs (ni fallor) oſtendunt multa à D. *Bidgood* in defuncti Cadavere obſervata. Quid enim aliud arguunt Epiploï & Meſenterii abſumptio, cavorum hepatis livor, peritonæi nigrities & putredo, muſculorum abdominis ſugillatio, niſi Omenti & Meſenterii corruptelam hinc ad cava hepatis, indè ad meſenterium & abdominis muſculos ſerpentem? Hæc autem à Vermibus non proceſſiſſe abunde teſtatur ipſum Interaneornm ſtabulum à putredine immune, & nulla in eo Vermium aut verminoſæ materiæ inventa veſtigia. Quare non poſſum non mirari, D. *Bidgood*, harum obſervationum teſtem ocularem, adeò adhuc de morbi cauſa ambigere, ut videatut dolere Elminthagoga à D. *Dike* adminiſtrata tempeſtiviùs, hoc eſt, in morbi principio, non

fuiſſe

fuiſſe exhibita: In Omenti enim aut Meſenterii Sphacelo, quid obſecro præſtitiſſet Mercurius dulcis cum reſina Gialappæ etiam conſtantibus viribus exhibita, niſi ut mortem properantem accelerarent?

25 *Ianuarii,* 1661.

Edm. Meara.

Martii 5. 1661.

Quàm confidenter D. D. Meara *de Sphacelo ventriculi pronunciaverit, diſcedentis auguria de læto eventu ſatìs abunde teſtantur: liberum autem ſibi ſit ſuâ frui conjecturâ: optaverim tamen ſtabiliora in ſui gratiam fundamenta, quàm quæ ex Anatome Defuncti ducebantur. Novit ſanè Vir in praxi exercitatiſſimus, morbi Epigeneſin ab eſſentia ſuis propriis diacriticis dirimere: quid aliud ex immunitate Interaneorum, quibus nulla Vermium aut verminoſæ materiæ veſtigia, colligi voluit? quibus datis propagatâ putredine partes vicinas corruptelam ſubire, nobis quidem (nec rogatus) aſſentire videtur. Itáne verò ipſiſſimum Interaneorum ſtabulum à putredine immune? quomodo tandem fibris & tunicis exuta, maculiſque inſuper variegata ſe videnda obtulerunt, minerâ ſcilicet morbi unà cum partibus excluſâ, tabe priùs venenoſâ per plures ſeptimanas liquatis? Non eſt igitur ubi ulteriùs Clariſſimus D. miretur,*

me in tam obſcura & recondita morbi natura hæſitare; quin ſibi potiùs ſuæque ſagacitati plaudat, qui tam infallibiliter de morbo determinat, cujus nulla dari ſigna oſtenſiva lubens profitetur.

Briſtoliâ, 5 Aprilis 1662. Joannes Bidgood.

Clariſſime Domine,

Confidentiam meam de Sphacelo non ventriculi magis quàm Meſenterii, aut alterius partis ventriculum in conſenſum trahentis, (quam utinam rationi nimis conſentaneam non comprobâſſet luctuoſus Nobiliſſimi Pueri obitus) & tu probè nôſti, & abunde teſtantur tum Literæ meæ ad Nobiliſſimum D. D. *Amos Poulett* paulò poſt diſceſſum meum exaratæ, tum prognoſticum de eventu morbi minùs proſpero, cujus occaſione tu me (ut accepi) clàm ſugillare ſolebas. Si autem tecum feliciora pollicente aliquando conſentire viſus ſum, id ideo factum antea ſignificavi, & jam profiteor, tum quia non ignorabam latentium abſceſſuum ſigna non ſemper eſſe oſtenſiva, ideóque non oportere Medicum prognoſtici nimis eſſe ſecurum; tum nè cuicunque rationi à te proponendæ, unde aliqua ſalutis ſpes vel imperitis affulgeret, obniti viderer, quum ipſe nihil quod ſperarem haberem. Hîc tu mihi inconſtantiam objicis, optáſque ſtabiliora in mei

mei gratiam fundamenta, quàm quæ ex Defuncti Anatome petita ſunt. Ego Dominationi tuæ maximas habeo gratias: Cæterùm illam veram eſſe conſtantiam exiſtimo, quæ, calumniæ ſecura, ſententiam vel mutat vel retinet pro emergente ulterioris ratiocinii pondere: nec me in re dubia errorem (ſi quem me erràſſe comperiſſem) fateri puderet, quum omnes ſimus erroribus obnoxii, ídque habeamus cum Medicinæ Parentibus, *Hippocrate* & *Galeno*, commune, qui propter ſimilitudinem in ſymptomatis non infrequentem aliquando errârunt, errorémque non ſolùm agnoſcere, ſed & ſcripto æternitati commendare maluerunt, quàm in eo cum pertinacia defendendo, veritati vim, poſteris fucum facere; quorum tam illuſtre ingenuitatis exemplum, ut humanitati tuæ vicem referam, imitandum tibi hîc proponere libuit. Equidem in principio abſceſſum non ſine causâ mihi viſus ſum ſuſpicari, de quo tamen propter nonnulla ſymptomata aliis etiam morbis communia, ambigi poſſe non dubitabam: Jam verò ex obſervatis à Dominatione tua in Defuncti Cadavere, colligo abſceſſum non ampliùs probabilem, ſed planè demonſtrabilem eſſe: nec ſtabiliora quæro fundamenta, quàm quæ ex diſſectione Anatomica oculatis manibus eruta ſunt. Abſceſſum ſiquidem Omenti & Meſenterii inveſtigatio viventibus ægris, Medicos exercitatiſſimos diu tenet ſuſpenſos: in diſſectis obvia eſt & perfacilis. Enimvero imponit

mihi Dominatio tua, dum ait me infallibiliter de morbo determinare, cujus nulla dari ſigna oſtenſiva profiteor. At ubi id profeſſus ſum? Dixi, fateor, abſceſſuum in viſceribus latentium ſigna non ſemper eſſe oſtenſiva: atqui hinc rectiùs collexiſſet Dominus me inſinuare voluiſſe, ejuſmodi abſceſſuum ſigna, licèt non ſemper ſint, eſſe tamen aliquando oſtenſiva; prout reverâ, accedente diſſectionis anatomicæ face, innumeri viſcerum abſceſſus, quorum in vivis nulla fuit ſuſpicio, ad oculum non rarò monſtrantur. Hinc ego me rectè collexiſſe arbitror, Meſenterii & Omenti Sphacelum, non autem Vermes, morti Nobiliſſimi Pueri occaſionem præbuiſſe, quum in inteſtinis & ventrìculo nulla putrilaginis aut Vermium, in meſenterio & omento luculenta apparuerint veſtigia corruptelæ & Sphaceli, hinc ad peritonæum & abdominis muſculos, indè ad hepatis cava ſerpentis. At tu ais me, nec rogatum, concedere corruptelam alicujus organi partes vicinas propagatâ putredine ſubire poſſe. Fateor; ſed nec faſſus ſum, nec fatebor, Membrum incorruptum & putredinis expers, qualia fuerunt hujus ægri ventriculus & inteſtina, partes vicinas propagatâ, quam non habuerunt, putredine corrumpere potuiſſe. Tu quidem in morbi hiſtoria ad Illuſtriſſimum D. *Poulett* tranſmiſſa, Inteſtina fibris ac tunicis exuta fuiſſe dixiſti; quæ facilè in diuturno fluxu à tranſitu materiæ purulentæ ex meſenterio & omento putrilagine

gine liqueſcentibus, ſalvâ & integrâ Inteſtinorum ſubſtantiâ, abradi & abſumi potuiſſe ego non diffiteor: at quomodo eâdem ſubſtantiâ integrâ & incorruptâ, materia verminoſa illic contenta Meſenterium, Omentum, Peritonæum, Abdominis muſculos & cava Hepatis ità corrumpere potuerit, ut Necroſim & Sphacelum illis induxerit, explicatu arduum eſt. Hunc nodum tua prævidit ſagacitas, proptereáque in chartula 5 *Martii* data addidit, Inteſtina inter diſſecandum maculis variegata apparuiſſe. Clariſſime Domine, Ego, nè quid dicam gravius, candorem hic in te deſidero. In citata morbi hiſtoria dixiſti Inteſtina pellucida viſa; de maculis altum ſilentium: cur jam maculis variegata prodeant, facile eſt citra virgulam divinare. Sed de hoc ſatis. Supereſt moneam Dominationem tuam, ut propriæ exiſtimationi velit conſultum, quam ne his artibus proſtitui patiatur, enixè rogat

Clariſſimæ Dominationis tuæ
Famulus ad obſequia paratiſſimus,

Edm. Meara

Briſtoliâ 2 *Aprilis*
1662.

Candide Lector,

HIſtoriam præcedentem à Clariſſimio D. D. *Bidgood*, Medico *Exonienſi*, delineatam accepi ab Illuſtmo D.D. *Poulett*, Barone de *Hinton*, Pueruli defuncti Patre, qui ſe hiſtoriam à D. *Bidgood* accepiſſe aſſeruit, nominíſque ſui ſubſcriptione munivit, quam ſubſcriptionem penes me ſervo: quod ideo dico, quia in dicta Hiſtoria nonnulli ſunt Solœciſmi, vel potiùs, ut exiſtimo, Sphalmata graphica per amanuenſem Domini *Bidgood* admiſſa, quæ mutata nolui, ne Authoris ſenſum alicubi mutari contingeret.

FINIS.

Elenchus Capitum

EXAMINIS.

PRÆFATIO.

Cap. I. SYnopſis *Pyretologiæ* Williſianæ. pag. 11
Cap. II. *An Febrim rectè definiverit* Williſius. 15
Cap. III. *Succorum Nervoſi & Nutritii Doctrina rejicitur, contra* Williſium & Gliſſonium. 22
Cap. IV. *An Sanguis ſanguificet: contra* Harvæum. 37
Cap. V. *Ejuſdem Controverſiæ Proſecutio; contra* Gliſſonium. 49
Cap. VI. *Sanguinis ex quatuor Humoribus Compoſitio aſtruitur: contra* Williſium. 68
Cap. VII. *An Partium Temperies per Ignem aut Fermentum rectè exprimatur.* Billichius *notatus.* 76
Cap. VIII. *Refellitur opinio* Williſii, *de Cauſa interpolationis Febrium.* 82
Cap. IX. Williſiana *Febrium Therapeia expenditur.* 104
Epilogus. 114

Elenchus

HISTORIARUM.

1. *Hiſtoria & Ætiologia Symptomatum quorundam perplexorum.* pag. 119
2. *Strabiſmus.* 125
3. *Rarum Criticæ Evacuationis Exemplum.* 127
4. *Cephalæa Veſicatorio, & Suffuſio erumpentibus Variolis curata.* 128
5. *Tibiæ utriuſque Caries, Cute integrâ.* 129
6. *Raræ Metaſtaſeos Exemplum.* 131
7. *Puer Lumbricos per Canalem Virgæ excernens.* 132
8. *Hydrops pectoris; & Communio partium Spirabilium cum Genitalibus.* 133
9. *Cephalæa cum totius Cranii Carie ex Lue Venerea.* 136
10. *Odor Cadaveroſus.* 137
11. *Ulcus Abdominis, Inteſtina tum tenuia tum craſſa penetrans, ſanatum.* 137
12. *Hydrargyri noxæ Thermarum uſu exaſperatæ quo ingenio cicuratæ.* 138
13. *Diſſertatio per Epiſtolam, de Venæ ſectione in Extenuatis.* 140
14. *Epiſtola ad D.* Prujean, *de Cauſa Caloris Thermarum noſtratium.* 146
15. Captain *Cole*'s Caſe. 148
16. *Recidiva Hydropis lethalis.* 158

17. *Bou-*

17. *Boulimos.* 159
18. *Ab Auris Ulcere Guſtatus deperditus.* 160
19. *Hiſtoria morbi quo obiit Illuſtriſſimi D.D.* Poulett, *Baronis de* Hinton, *filius natu minimus, à Clariſſimo D.D.* Joanne Bidgood *delineata.* 161
20. *Authoris in eandem Animadverſio.* 167
21. *Reſponſum* D. Bidgood. 169
22. *Authoris ad eundem Epiſtola.* 173

FINIS.

Pathologia
HÆREDITARIA
Generalis,
SIVE
De Morbis Hæreditariis
Tractatus Spagyrico-dogmaticus;

In quo

Generalis eorundem Morborum Radix, Naturæ, & Therapeutica Indicatio ex utriuſque Medicinæ fontibus inveſtigatur.

Authore

DERMUTIO *de* MEARA, Ormonienſi Hiberno, Medicinæ Doctore.

AMSTELODAMI,
Apud GERBRANDUM SCHAGEN
Anno M. DC. LXVI.

Ad Lectorem.

T*Ractatulum hunc à p. m. Parente meo ante quadraginta quinque annos publico datum, & Typis* Franctonianis Dubliniæ *excuſum, ut denuo recudendum curarem ſuaſerunt tum amicorum preces, tum exemplarium in pleraſque* Europæ *regiones diſtractarum raritas, tum maximè Argumenti dignitas, cùm ſit Diſſertatio non minùs jucunda quàm utilis, nec magìs ardua quàm curioſa, cujus explicationem duo* Galliarum *Lumina,* Fernelius & Laurentius, *ità attigerunt, ut uterque in aliquibus ſit lapſus, neuter omnes ejus difficultates penetraverit aut latebras aperuerit: in quibus elucidandis ità ſe hic Author geſſit, ut Ingenii*

genii

genii perſpicaciam cum Iudicii ſoliditate conjunctam expreſſerit. Ejuſdem Hippocraticam *Febrium Ætiologiam & Prognoſin propediem, cum Deo, exhibebimus. Tu interim hoc fruere, Lector, & vale.*

Edmundus de Meara, *M. D.*

Authoris Filius.

CAPUT I.

Quid ſit, & an ſit Morbus Hæreditarius.

Morbus is dicitur *Hæreditarius*, qui cùm Parentem afflixerit, ejúſque radix ſolidæ cuipam Parentis parti firmiter inhæſerit, Hæreditario quodam jure in Poſteros deſcendit. Per *Parentem* autem intelligo non modò proximum, ſed & remotum: multi enim morbis infeſtantur hæreditariis, quorum nec alteruter Parens, nec Avus aut Avia ejuſmodi morbis fuerint divexati. Si autem in nullo Majorum apparuerint, Hæreditarii non appellantur. Addidi (*Hæreditario jure*,) quia tum Parentes tum Poſteri eodem ſpecie morbo nonnunquam corripiuntur, qui tamen ex accidenti illis contingit, ac proinde *accidentarius*, non *hæreditarius*, dici meretur. *Accidentarium* appello morbum omnem cujus ſemen, principia & cauſæ ægrotanti non ſunt ingenita, ſed aliunde quàm ex vitæ principiis advenerunt: ídque vel ipſo generationis aut conformationis tempore, occultâ Planetarum fixorúmque Aſtrorum influentiâ, (cui non levem morborum generandorum vim attribuendam exiſtimo;) vel reliquo geſtationis tempore, ex alimenti quod fœtus in utero carpit vitio; vel poſtquam fœtus in lucem eſt editus, qualis & quæcunque ſit cauſa:

Solius

Solius namque morbi Hæreditarii radix ante fœtûs generationem, vel ſaltem ante abſolutam ejus conformationem, alicui alterutrius Parentis parti fixæ inhæret, unáque cum alterutro vitæ principio, Semine ſcilicet vel Sanguine, in prolē transfunditur, unde propriè loquendo, proprii prolis morbi, non accidentarii, infauſtæ hæreditatis jure conſurgūt.

Dari morbificam ejuſmodi Hæreditatem, Medicorum nemo eſt qui non affirmat, ídque quotidiana docet experientia: Elephantiacum cum Elephantiacos, Arthriticum Arthriticos, Nephriticúmque Nephriticos procreaturum vulgò expectatur, & plerumque experimur. Quinimo quamplures cernere licet Familias, quarum ſingulæ peculiares quoſdam Morbos ità ſibi vendicant, ut omnes de eadem ſtirpe ſati eoſdem ferè Morbos patiantur, eorúmque multi eodem ætatis annorúmq; circuitu & curriculo, cúmque iiſdem ſymptomatis, aut parùm diverſis, vitæ terminum claudant. Quòd ſi quis, ut aliquando contingit, iis non ſit morbis obnoxius qui Familiæ unde ortus dicitur peculiares ſunt & indigetes, non levem indè conjecturam vulgus capit, hominem illum in alienum omninò genus tranſiiſſe, ſpurióque de ſemine natum eſſe. Neque ſanè vulgaris hæc opinio omni prorſus ratione deſtituitur. Experimur enim unum aliquod morbi genus in peculiarem hanc vel illam terræ plagam ità ſævire, ut ab ejus furore nullus ferè incola liber evadat, quem idcirco *Endemium* vocant;

cum

cùm tamen in reliquis Orbis regionibus terrifica illa lues neque viſa fuerit, neque audita. Ante Annum Salutis 1494. Venerea contagio, quam noſtrates *Gallicum* morbum, *Galli Hiſpanicum* & *Italicum* nuncupant, *Europæis Medicis* incognita & inaudita fuit, licèt multis antea ſeculis apud *Americanos Indos* ità debacchata fuerit, ut nulli pepercerit. Sic olim *Galliæ Narbonenſis Carbo*, *Lepra Alexandriæ*, *Bronchocele* montium *Sabaudiæ*, *Scorbutus* etiam nunc Incolarum maris *Baltici*, *Pædarthrocace Angliæ* endemii fuerunt morbi, ut vix alibi conſpicerentur; quemadmodum & cæteræ Regiones ſuas habent Peſtes, quas alumnis ſuis liberaliùs quàm quaſcunque alias divitias impertiuntur. Singulæ item Anni Tempeſtates, variæ hominum Ætates, diverſæ Temporum mutationes, varias, pro cujuſque ingenio, Ægritudines, eáſque epidemicas, hoc eſt, infinitæ multitudini communes, pariunt, ut docet *Hippocrates*, 3. Aphoriſm. De anni temporibus ità, Aphoriſm. 19. *Morborum genus omne omnibus anni temporibus exiſtit; ſed tamen eorum alii certis anni temporibus faciliùs exiſtunt & ingraveſcunt.* Specialiùs loquitur in ſequentibus. *Vere*, inquit, Aphoriſm. 20. *Inſaniæ, Epilepſiæ & Melancholiæ ſummæ ſunt omina, Sanguinis profluvia, Anginæ, Gravedines, Raucitates & Tuſſes & Lepræ, Impetigines, Alphi, plurimæque Puſtulæ ulceroſæ prurientéſque, & Tubercula, & Articulorum dolores.* Æſtatis pariter morbos

bos Aphoriſ. 21. recenſet, & qui *Autumno* contingere ſolent Aphoriſm. 22. & qui *Hyemi* familiares ſunt Aphoriſm. 23. *Æſtatum* morbos proſequitur in ſubſequentibus omnibus uſq; ad finē libri. Si quis ſcire velit quales morbos quæque temporum mutationes defectionéſque producant, legat Aphor. 11, 12. 13, 14, & 18. ejuſdem Libri.

Jam ſi loci, temporum, ætatis & auræ tantum eſt in multitudine inquinanda robur ob cœli ſolíque communionem, eandémne vim negare decet Semini, quod intrinſecum & eſſentiale eſt multorum principium?

Quum denique Parentum Virtutes & Vitia (quæ Animi potiùs quàm Corporis cenſentur diatheſes) vi quâdam hæreditariâ à ſemine in Sobolem propagari agnoſcimus; quid ſuadet ut Morbos, materiales corporeóſque affectus, à Parentibus ſeminali virtute (admirandâ quidem, ſed fœcundâ non minùs in bonis quàm in malis) Soboli communicari non credamus? Imò verò cùm ſemen in ſe ſingularum partium Corporis, unde dimanat, ideam, formam & proprietates potentiâ contineat, (unde ſexûs, temperiei, effigieíque præcipua petenda ratio,) quis meritò mirari poſſet morborum genere ullo Parentes affligi, quod occulta, ſed fertilis, illa in ſemine qualitas in Liberos non derivet? Conſtat igitur Morbos dari Hæreditarios: & cùm quid ſint abundè declaraverimus, ad alias magìs difficiles, quæque ſubtiliori indigent ingenii acumine, diſcutiendas Quæſtiones accedamus.

CAP.

CAPUT II.

Quæ ſit Morbi Hæreditarii *Cauſa: & an omnes Morbi ſint Hæreditarii.*

Fernelii Opinio.

VAſtiſſimum mihi proponitur diſputandi transfretandum æquor, contrariis Doctiſſimorum totius ferè *Europæ* Medicorum flatibus ità exaſperatum, ut noſtræ rati æſtuantibus ab undis non mediocriter metuendum ſit: ſed quantò laborioſior futura eſt hæc noſtra navigatio, tantò majore, ut ſpero, cùm voluptate in tranquillum Veritatis portum nos ſecundum Philoſophiæ flamina deducent. Philoſopho jucundum eſt ſpeculatu, & Medico cognitu utils, unde promanat infelix illa fœcunditas quæ quibuſdam morbis ineſt; unde felix aliorum morborum ſterilitas, quâ inepti redduntur, ut à majoribus in poſteros transfundi nequeant.

Fernelius, Vir optimè de re Medica meritus, utpote qui abſolutam Jatrices Cyclopædiam contexuit, quíque abſtruſiores Artis latebras admirandis ingenii radiis colluſtravit, duplicem aſſignat morboſæ hæreditatis cauſam, Seman ſcilicet & maternum Sanguinem; vúltque vi Seminis, ut videtur, morbos omnes Hæreditarios eſſe poſſe, vi Sanguinis multos, non omnes. Primi Pathologiæ

giæ Capite undecimo, Morborum cauſas inveſtigans, per Semen ait natos recipere morbos omnes quibus Pater generationis tempore poſſidebatur, per Sanguinem eas ægritudines quæ Matrem utero geſtantem corripuerunt. At nullus ferè excogitari poteſt morbus, quo non ſit poſſibile aut generantem patrem, aut prægnantem matrem laborare. Generantem patrem omnes ſuos morbos in prolem unà cum ſemine tranſmittere judicat, duobus (ut ex ejus verbis colligere poſſum) perſuaſus argumentis. Primò, Cùm Semen, quod vel ab univerſo corpore, ut loco jam citato aſſerit *Fernelius*, vel à cerebro, corde & hepate, ac præcipuè à cerebro demittitur, ut 7. Phyſiologiæ apertis aſſerit verbis, ſingularum in ſe partiũ Ideam, formam, temperiémque potentiâ contineat, ut Medici omnes unanimiter atteſtantur; credibile eſt & valde probabile, ſingularùm partium morbos, earúmque cauſas, in eodem Semine potentiâ contineri, & in liberis proceſſu temporis in actum pullulare. Aliud argumentum ab Experientia elicitur. Mutilus mutilos, Epilepticus epilepiticos, & Leproſus leproſos gignit: at nulla videtur aſſignari poſſe ratio, cur ejuſmodi morbi fœcundiores eſſent in ſuo genere multiplicando vi ſeminis, quàm alii omnes in ſuo. *Fernelii* igitur Opinio eſt, Morbos omnes Seminali virtute in Sobolem transferri poſſe.

De Sanguine materno idem ſentire videtur Pathologiæ antè citato Capite, his verbis:

Quin-

Quinetiam maternus Sanguis, primum fœtûs alimentum, altera eſt temperamenti & conſtitutionis cauſa; atque is ſua etiam vitia, at leviùs quàm Semen, in Corpus inſerit. Quod & quibuſdam obſervationibus confirmat. *Animadvertimus,* inquit, *ſi gravidam medio geſtationis tempore Quartana Febris adoriatur, partum edi qui diu poſtea Quartanâ Febre conflictabitur; atque ſi nono ea menſe Pleuritide prematur, prolem quoque gigni in Pleuritidem proclivem; quemadmodum & ejus, cui Abſceſſus ex aure octavo menſe proruperat, filium in omnem vitam purulentas aures habuiſſe.*

At Septimo Phyſiologiæ Cap. 6. Morborum quorundam, eorúmque *Hæreditariorum,* Sanguinem cauſam eſſe poſſe negat, *Id,* inquit, de fœmineo Semine verba faciens, *vim habere procreantem atque fingentem indè colligitur, quòd non alium in his quàm in maribus ortum & à teſtibus & à vaſis acceperit; quòd etiam mulier quæ morbo Comitiali, Calculo aut Podagrâ affligitur, prolem generat horum malorum hæredem; quòd demum partus ſit plerùmque matri ſimilis: Quæ omnia non maternus Sanguis, ſed quod ab illa profuſum eſt Semen efficere poteſt.* Hic locus cum priori collatus, aut *Fernelium* omninò inconſtantem & obliviosum indicat; aut, quod veriſimilius eſt, eum tenuiſſe, Sanguinem morborum quidem Hæreditariorum cauſam eſſe poſſe, non tamen omnium, quanquam diſcriminis rationem nullam oſtendat.

C A-

CAPUT III.

Fernelianæ *Opinionis Confutatio.*

F*Ernelium* ingenio fuiſſe feliciſſimum & eruditione celeberrimum fatendum eſt, utriuſque enim perennia ſuperſunt monumenta, quorum merito inter clariſſimos Artis *Aſclepiadæa* principes nullo unquam ævo non commemorabitur: attamen uſu plerumque evenire videmus, acutiora ingenia gravioribus obnoxia erroribus: perſpicaces ſiquidem animi, cùm novis ſemper inhient inventis, trito & pluribus communi tramite incedere nolunt, imò per devia & ſcopulos inacceſſos curſum plerumque tenent, ex majori operis difficultate uberiorem laudem & gloriam cumulatiorem captantes. Haud tamen perinde facile eſt quempiam per inſuetas & cæcas ſemitas ſolum ſine duce vagantem à propoſito itinere nunquam non deflectere. Hujus rei ſi quiſpiam alius qui de re Medica ſcripſit teſtis eſſe poteſt, omnium ſanè maximè luculentus *Fernelius.* Ut enim Artem quamplurimis ditavit ornamentis, ità & multas in eam introduxit Hæreſes. Contra omnium Medicorum non modò opinionem, ſed & rationem & experientiam, 6 Pathol. Cap. 18. aſſerere non veretur, omnem Arthritidem frigidam eſſe, nullam calidam, eámque ex frigido humore, utpote

utpote ſeroſo vel pituitoſo, nunquam ex ſanguineo, vel bilioſo, vel melancholico generari: humorem præterea qui Arthritidis cauſa eſt, in articulos à viſceribus nunquam demitti, ſed ſemper ab externis capitis partibus & extra calvariam poſitis per ſumma corporis ſub cute, non per vaſa, deſcendere. Eodem 6. Pathol. Cap. 12. Calculum nullum in veſica generari contendit. Formæ & materiæ morborum unicus eſt author, de Morb. differ. Cap. 7. Nec minùs ſanè rationi abſona ſunt quæ de Morbis *Hæreditariis* protulit.

Duo ſunt præcipua Opinionis *Fernelianæ* Capita. Alterum, Seminali virtute morbos omnes *Hæreditarios* reddi poſſe. Alterum, Morbos quoſdam Hæreditarios, non omnes, aliquando à Sanguine originem ducere. Utrumque ſucceſſivè impugnabo. Et ut à priori incipiam; Quis non experitur quotidie generantes Parentes multis infeſtari Tumoribus contra naturam, multis Ulceribus, multis Vulneribus, quæ neque ſeminali virtute neque aliter Liberis communicant? Mirum igitur quid *Fernelium* in hæc verba impulerit? *Quocunque morbo Pater cùm generat tenetur, eum cum Semine transfert in Prolem.* Ipſis profectò non credit ſenſibus, atque Extaſi aliâque Vigilantis ſomnium appellatur, eâque per totam durante vitam, laborat; aut Tumores, Ulcera & Vulnera Morbos eſſe negat, contrà, quàm tum omnes Medici uno ore ſtatuunt, tum ipſe Septimo Pathologiæ, ubi de Externis corporis Affectibus agit, paſ-

ſim

ſim teſtatum reliquit. Non negabit præterea Morbos eſſe Catarrhos, Ophthalmias, Aſthmata, Cephalæas, Febres, omnéſque alios affectus à fluxilibus humoribus dependentes: At plerumque horum nullus, quamvìs generantem Parentem infeſtet, ad Prolem vi ſeminis transfertur, propterea quòd eorum radix & cauſa nequaquam fixa eſt aut fixæ alicui parti inhæret, ac proinde eorum tinctura Semini omninò non imprimitur. Ad id verò cui tamquam fundamento maximè innititur *Fernelius*, Semen à qualibet corporis parte, vel à cerebro, corde & hepate demitti, & conſequenter partium omnium vires defectúſque in fœtum tranſportare; reſpondeo, Semen formam ſuam à Teſtibus vaſiſque ſpermaticis accipere: nullæ enim aliæ partes vim habent ſpermatopoieticen præter Teſtes & prædicta vaſa, quæ ad id muneris à Natura ſunt conſtituta. Quòd ſi etiam concederetur, ut concedendum non arbitror, ab omnibus partibus Semen defluere, non indè tamen ſequeretur, illud cujuſque partis affectiones omnes earúmque cauſas fœtui imprimere poſſe: non enim neceſſe eſt, imò nec probabile, Semen impreſſiones ullas ſecum tranſportare, quarum non ſint tenaces & fixæ radices, corpori à quo demittitur Semen inhærentes. Cæterùm multi ſunt morbi facilè diſſipabiles, nec ulla eſt pars corporis quæ ejuſmodi morbis non ſit obnoxia. Non omnes igitur morbi Hæreditariam fœcunditatem aſſequuntur; neque quoniam quam-

quamplurimis morbis ejusmodi fertilitas ineſt, eandem in omnibus admittere debemus, ob rationem jam dictam: quod ſecundo *Fernelii* Argumento plenè ſatisfacit.

Hæc de priori parte ſufficiant. Jam de poſteriori pauca dicamus, plura in duobus ſequentibus Capitibus dicturi. Negandum profectò non eſt fœtûs temperamentum & conſtitutionem ab alimento quo in utero utebatur non parùm dependere, ejúſq; alimenti infelici beneficio fœtum in varios præcipitari morbos, eóſque interdum Hæreditarios: Si enim poſtquam in lucem eſt editus, jámque robuſtior factus, alterius mulieris, utpote Nutricis, vitia & infirmitates contrahit, propterea quòd ejus lacte nutriatur, ac propterea Medici non Infanti, ſed Nutrici medicamenta præſcribunt, ut lacte expurgato puris & ſalubribus infans veſcatur eſculentis; impoſſibile, ſi qui fuerint defectus effatu digni in nutrimento quo toto geſtationis tempore frueretur, dum adhuc tenellus eſſet, & veluti malliuſcula cera quamlibet impreſſionem facillimè recipiens, quin in eos delabatur, eíſque per aliquod vitæ tempus, ſi non per totam, infeſtetur, donec vel alterius alimenti, vel ætatis, vel aeris, vel medicamentorũ virtute prava illa diſpoſitio prorſus abigatur, & nova conſtitutio introducatur. Eſt autem animadvertendum, Sanguinis vitium quod morbos cauſat hæreditarios ſanguini ineſſe oportere ante viſcerum, parenchymatum, ſolidarúmque partium conformationem; nam ſi poſt quartum

à conceptione menſem, quo tempore ultima partium conformatio abſolvitur, fœtúſque moveri incipit, impuritas morboſa ſanguini acceſſerit, non adeò fixa fœtui ſemina infigere valet, ut tenax morbus dici mereatur qui indè conſurgere poteſt, quamvìs quædam in morbos proclivitas indè enaſcatur, quæ non niſi magno labore amovetur, modò impuritas magna ſit, & fæculentæ ac tenacis naturæ, quæ non ſit facilè diſſipabilis. Quòd ſi verò vel ante conceptionem, vel primis conceptionis menſibus, fixâ aliquâ morboſitate ſanguis maternus inquinatus ſit, eandem certè morboſitatem mater fœtui communicabit, morbúſque conſurget Hæreditarius.

Hæc omnia *Fernelius* concedit; Calculum tamen, Arthritidem & Epilepſiam Sanguinis vitio à Matre in Sobolem transferri negat. Sed quæ ratio diverſitatis? nulla certé. Nam ſi fluxiles minúſque permanentes Sanguinis impuritates in Liberos Mater transfert, multò magìs ſtabiles & fixas. Sed hæc fuſiùs tractabimus in refutatione eorum qui nullos morbos arbitrantur fieri Hæreditarios, niſi beneficio Seminis.

C A-

CAPUT IV.

Laurentii *Opinio.*

ALter Medicorum Coryphæus, *Andreas Laurentius, Henrici* Quarti *Gallorum* Regis Conſiliarius & Medicus ordinarius,& quondam in *Monſpelienſi* Academia celeberrimus Profeſſor, Lib. 8. Anatomiæ, Quæſt. quintâ; nullos morbos vitio Sanguinis Hæreditarios fieri aſſerit: ubi Peripateticorum Opinionem improbans, qui muliebre ſemen infœcundum eſſe volunt,ſic urget. *Sed quid de Hæreditariis morbis reſpondere queant non video: Arthritica arthriticum, Epileptica epilecticum, & Calculoſa calculoſum gignit, non Sanguinis vitio, quis enim Sanguinem menſtruum ſingularum partium Ideâ in ſe continere unquam dixit? Impurus quidem Sanguis debilem & morboſum fœtum reddet: ſed renibus calculoſam, arthriticis arthriticam dipoſitionem imprimere ſoli hoc Semini, quod fatalem in ſe moriendi & vivendi neceſſitatem continet, eſt conceſſum.* Idem etiam aſſerit Quæſtione nonâ ejuſdem libri, in confutatione Opinionis *Mercurialis* de cauſa Variolarum. *Hæreditarii*, inquit, *omnes morbi non niſi per Semina liberis communicantur.* Addit ibidem, diatheſin illam quæ in poſteris multiplicatur,debere inhærere ſolidis Parentum partibus, alioquin ad

poſteros non perventuram: per ſolidas autem partes ſolas ſpermaticas intelligit, ut videre eſt apud ipſum 1, Anatom. q. 10. Cùm igitur innumeri ſint morbi qui in humoribus & carnoſis partibus ſedem habent, non omnes morbos Hæreditarios eſſe poſſe exiſtimat. Porrò, cum duplex ſit Morborũ genus, quorum alii dicuntur fientes, alii facti; in his, non in illis Hæreditariam fœcunditatem admittit. Facti appellantur illi morbi, qui poſt cauſæ (quâ in ſubjectũ introducuntur) ablationem in ſubjecto radicaliter manent, ut Arthritis Etſi enim humor in articulo contentus, arthriticúmque dolorem cauſans, Catharticis aut aliter auferatur; niſi tamen recipientes partes, utpote articuli, ab intemperie relicta liberentur, illíque atque etiam mandantia viſcera roborentur, Arthritis omninò curari nequit. Fiens verò morbus is eſt, qui ablatâ cauſâ efficiente permanere non poteſt, neque actu neque potentiâ, ut Morbilli & Variolæ. Poſtquam enim materni Sanguinis impuritas, quæ Morbillorum & Variolarum in prole cauſa eſt, per exanthematum eruptionem criticámque excretionem penitus ſemel ablata eſt, nulla ſupereſt ad ejuſmodi morbos diſpoſititio, neque in eos periculum eſt relapſûs. Summa *Laurentianæ* Opinionis eſt, non omnes Morbos eſſe Hæreditarios, & ex Hæreditariis nullum vitio Sanguinis fieri. Idem videtur ſenſiſſe *Iulius Palmarius*, Medicus *Pariſienſis*, de morbi Hæreditarii cauſa: in Opere enim de Morbis contagioſis, Tractatu

tactu de Elephantiaſi, Cap. 3. inter alias Elephantiæ cauſas jus enumerat hæreditarium, ídque à ſolo Semine promanare ſtatuit tum ibi, tum ejuſdem Tractatûs Cap. 7.

CAPUT V.

Confutatio prædictæ Opinionis.

LUbens *Laurentio* concedo, morbos omnes Hæreditarios eſſe non poſſe: ídque, ni fallor, in *Fernelianæ* Opinionis Confutatione oſtenſum eſt. Cùm verò à morbi Hæreditarii Cauſis maternum Sanguinem omninò excludat, neque illi, neque ejus ſectatoribus aſſentiri poſſum. Quamquam Medicus celeberrimus ſit & multijugâ eruditione inſignis; aliquando tamen bonus dormitat *Homerus*, ac nemo hominum in omnibus ſapit. Nullam ejus video rationem quâ quod dicit demonſtrari poſſit; in contrarium autem multas, è quibus unam hanc validiſſimam & irrefutabilem reputo.

Humanæ generationis, quemadmodum & cújuſcunque alterius actionis, duo ſunt Principia, activum ſcil, & paſſivum. Semen activum eſſe & efficiens tum Medica tum Peripatetica docet Schola: Addunt Medici, Semen non ſolum efficiens eſſe ratione ſpirituū animalium & virtutis plaſticæ in eo reſidentis, ſed & materiam, ex qua partes omnes ſpermaticæ conſtant. Contrà Peripate-

tici ex ſolo Sanguine partes omnes,tum ſpermaticas tum carnoſas, ut materiali principio, conſtare contendunt, & Semen ſolius efficientis munere fungi. Et ſanè quamquam cum Medicis dicendum ſit, Semen, quod duplici conſtat ſubſtantiâ, ſpiritibus ſcilicet & Craſſamento, ratione ſpirituum opificem eſſe, ratione Craſſamenti materiam ſpermaticarum partium, ut fusè docet *Laurentius*, Controverſ. Medic.q.7. vix tamen concipi poteſt quî fieri poſſit, ut ex tantillo ſolius Seminis injecto tota omniū ſpermaticarum partium, oſſium viz. cartilaginum, vinculorum, nervorum, arteriarum, venarum & membranarum moles conſurgat. Nec ſatisfacit quod *Laurentius* reſpondet, ex ſolo ſcil. Semine ſpermaticarum omnium partium prima filamenta & ſtamina confingi ortúmque ducere, incrementum verò & perfectionem à Sanguine recipere: hæc, inquam, reſponſio argumentum non ſolvit: Nam præterquam quòd eadem ipſa filamenta ex ſolo Semine configurari incertum ſit, (veriſimilius fortaſſe,ſtatim poſtSeminis ab utero amplexum, ſpiritibus in Semine antea ſopitis,jam ab uterino calore excitatis, munus ſuum, conformationem ſcilicet, inchoantibus, Sanguinis portionem illuc confluere, providæ Naturæ imperio, ut ex utroque principio ipſa eadem filamenta à divina Seminis facultate procreatrice fabricarentur;quod nullam involvit impoſſibilitatem, quicquid *Laurentius* in contrarium dicat) conceſſo etiam ſolius Seminis craſſa-

craſſamentum ſtaminibus illis delineandis materiam præbere; fateri tamen oportet *Laurentium*, Sanguinem in ſpermaticarum partium ſubſtantiam converti, quandoquidem ex eo incrementum & perfectionē accipiunt. Non parùm igitur errat dum ſolum Semen partium ſpermaticarum materiam arbitratur: ex iiſdem namque conſtamus quibus & nutrimur. Quum igitur fixiorum magíſque permanentium corporis partiū, quæ ſpermaticæ appellantur, (non quòd ex ſolo fiant Spermate, ſed ad differentiam carnoſarū, in quarum compoſitionem ſperma non ingreditur) Sanguis materiale ſit principium, ſi fixa aliqua impuritas, quæ morboſitatis cauſa eſſe poſſit, Sanguini inſit, (quod multoties contingit) fieri non poteſt quin & illæ eandem impuritatem, ex eâque conſurgentem morboſitatem, participent, (niſi cauſa aliqua fortior impediat;) & conſequenter ex Sanguinis quemadmodum & Seminis culpa morbos conſurgere Hæreditarios neceſſe eſt.

Sed dicet aliquis Semen fortius eſſe Principium, fortiorémque Cauſam: ſanum ergò exiſtens, Sanguinis impuri vitia abolere & à fœtu excludere. Ad hoc reſpondeo, Leviora quidem Sanguinis vitia à Semine ſano & forti aboleri; graviora corrigi, non aboleri, neque à fœtu ſecludi: hinc tamen bene inferri poſſe, morbos Hæreditarios è Sanguinis pernicie ortos non uſque adeò ſtabiles & radicatos eſſe, ac illos quorum cauſa Semen ſimul & Sanguis fuerunt: imò & ſolius Seminis vi-

tia longè graviora eſſe quàm Sanguinis; meliorum enim & fortiorum Corruptio major eſt & fortior, ut patet in uteri ſtrangulatu, qui ſi à Seminis retentione oriatur, terribilioribus premet ſymptomatis quàm ſi à menſium ſuppreſſione dependeat.

At ultrà urgeri poteſt ex verbis *Laurentii* antè citatis, Annotat. 8. q. 5. Menſtruum nullâ eſt agendi facultate præditum, neque partium in ſe Ideam aut actu aut potentiâ continet. Non poteſt ergò Infantis Renibus calculoſam Parentis diſpoſitionem, aut articulis arthriticam imprimere; alioquin duo ſequentur abſurda: Aget ſiquidem quod agere nequit Sanguis, quum ſolùm Semen principium ſit activum; & dabitur quod in dantis poteſtate non eſt, partium nimirum morboſarum Idea, quæ in Seminis, non Sanguinis potentia latet. Subtile ſanè argumentum, cujus tamen robur exiguum, & ſolutio eſt facillima. Admitto ſpiritus in Semine latentes auctores eſſe & opifices actionum omnium conformationis: affirmo autem partium Ideam ſive ſimilitudinem, & morboſam ac ſanam diſpoſitionem, non in ſpiritibus, ſed in altera Seminis parte, quæ Craſſamentum dicitur ſecundùm aptitudinem reſidere: eſt enim materia, non efficiens, in cujus potentia ſubſequentes omnes formæ continentur, & ex qua educuntur. Spiritus igitur partes omnes efformant & figurant, nullam verò novam introducunt diſpoſitionem, cujus radix & cauſa in materia non præextiterant.

Quem-

Quemadmodum Statuarius varias Statuas ex variis materiis, imò & ex ejuſdem materiæ variis, ſed hæterogeneis, partibus condit, argenteam tamen non niſi ex argento, neque auream niſi ex auro: ſic Spiritus Naturæ opifex in Semine ſimul & Sanguine, ut ſuprà oſtendimus, os, nervum, cartilagines, reliquáſque fœtus partes fabricat, ſanum quidem os aut nervum non niſi ex ſemine & ſanguine ſanis, morboſum verò vel ex ſemine vel ex ſanguine morboſo. Quamquam igitur Semen ratione ſpiritûs efficiens ſit, qui Parentum morboſam diſpoſitionem de potentia in actum in prole elicit; ejus tamen diſpoſitionis cauſa & ſeminarium interdum in Sanguine, non in Semine conſiſtit. Hoc idem aſſerit *Magirus*, egregius Medicus & Philoſophus inſignis, Pathologiæ l. 1. c. 11. & *Milius*, in operis Chymico-medici Tractatu primo, quem *Baſilicam medicam* appellat, Lib. 2. Cap. 2. & *Duncanus* in Artis Medicæ Lib. 3. Cap. 1.

CAPUT VI.

Quercetani *Opinio.*

TErtia ſupereſt Opinio *Ioſephi Quercetani Henrici* itidem Quarti *Gallorum* Regis Conſiliarii & Medici ordinarii, Viri in utraque Medicina, Dogmatica & Hermetica ſive Spagyrica, Clariſſimi. Hic in

Tractatu quem de Arthritide & Calculo ad *Riverium* ejuſdem Regis Archiatrum ſcripſit, in morborum Hæreditariorum origine expiſcanda novâ incedit viâ, noviſque inſiſtit fulcris in Dogmaticorum Schola non niſi nuper cognitis. Tria ponit ſumma morborum genera, Sulphurea, Salina & Mercurialia, tribus rerum omnium, ut Spagyricis placet, principiis hypoſtaticis, Sali, Sulphuri & Mercurio correſpondentia. Spagyricorum autem Sal, Sulphur & Mercurius Mineralia illa non ſunt quæ à mercatoribus vulgò venundantur, ſed tres ſenſu perceptibiles ſubſtantiæ, quæ Chymicæ analyſeos beneficio ex qualibet ſubſtantia corporea elementata erui poſſunt. Mineralium autem iſtorum nomina illis impoſita ſunt, tum quòd illis analoga ſint; tum quòd inter ſe eſſentiâ, proprietatibus & actionibus tantum differant quantum Mineralia in ſuo genere inter ſe. Mercurius primum eſt quod in Chymica corporum reſolutione apparet, liquor aqueus, aëreus, acidus, permeabilis, & penetrabilis; à quo, ſecundùm *Beguinum*, Tyrocin. Chymi. Cap. 2. nutricatio omnis, ſenſus, motus, colores, vires & præproperæ ſenectutis retardatio. Aëri aſſimilatur, quòd caloris vi in auras facillimè abeat. Aquæ etiam elemento confertur, quòd fluidus ſit, nec proprio, ſed alieno termino, dum in ſua eſt natura, facilè continéatur, quæ humidi eſt apud *Ariſtotelem* definitio, 2. de Generatione, textu 23. Sulphur oleaginoſum quid eſt, viſcidum, pin-

gue & reſinoſum, proximúmque poſt Mercurii liquorem à corporibus deſtillatoriâ Spagyricorum arte extrahitur; & Igni comparatur, quod facilè flammam concipiat & ardeat, quemadmodum & quæ de ejus natura participant, ut reſinoſa & pinguia omnia. Sal ultimum eſt, quod poſt Mercurii & Sulphuris extractionem in deſtillatorii vaſis fundo reſidet, ſiccum & ſalſum corpus, mixta à putredine defendens, rebúſque omnibus determinationem, ſoliditatem, ſapores, nec non varias diſſolvendi, coagulandi, detergendi & evacuandi facultates impertiens. Analogiâ reſpondet Terræ; non quod frigidum & ſiccum ſit, uti Terra eſſe dicitur, ſed quod firmum atque fixum ſit principium & calida agendi facultate præditum: Cunctarum quippe rerum generationi inſervire creditur. Tria hæc in unoquoque mixto reperiri variis exemplis ſeu experimentis probat idem *Beguinus*, loco jam citato. Unum hic recenſere non pigebit. *Ligna*, inquit, *viridia crementur: egredietur primò Aquoſum quiddam, quod ignis flammæ concipiendæ eſt planè inidoneum, & in fumum converſum, ſi colligatur, in Aquam reſolvitur, dicitúrque Mercurius. Deinde exibit Oleaginoſum quiddam facilè inflammabile, quod in vapores reſolutum, ſi cohibeatur, in Oleum abit, vocatúrque Sulphur. Tandem remanet ſiccum & Terreſtre, quod ex cineribus aquæ beneficio extrahitur, ínque humido & frigore ſolvitur, calore autem concreſcit, Salíſque nomen obtinuit.* Modum

præterea quo tres hæ naturæ ſimul conſiſtere, & mixtum atque perfectum corpus conſtituere poſſunt, & quid altera alteri præſtat, *Quercetanus* in Tractatu de Internis Signaturis in hunc modum explicat. *Cùm humiditas,* inquit, *Mercurialis, volatilis ac ſpiritualis cum parte terrena corporea atque fixa, Sale ſcilicet, propter ingentem diſcrepantiam & contrarietatem utriuſque conſociari facilè non poſſit, opus fuit medio ſeu quodam ſequeſtro, qui utriuſque, hoc eſt, tam ſpiritualis quàm fixi, participatione utrumque conjungeret: atque hic eſt Sulphur ſeu Oleum, quod inter fixum & volatile medium quiddam tenet: nunquam enim tam facilè nec tam citò diſtillatur oleum ac aqua. Accedit quòd Sulphuris ſive oleaginoſi corporis ſubſtantia ſit, ideóque aptiſſima ad combinationem reliquorum duorum, ad efficiendam bonam, æquabilem & perfectam mixtionem.* Quod & exemplo confirmat. *Nunquam,* inquit, *tenax atque laudatum cæmentum fit ex ſola aqua atque arena; ſed calce inſuper opus eſt, quæ utraque illa tamquam oleum ac gluten quoddam connectit. Sine Sale reliqui duo humores, fluxiles & ſuâ natura mobiles, fixum, firmum & ſolidum corpus conſtituere nequeunt. Humor denique Mercurialis reliquorum eſt tamquam vehiculum, ad penetrationem & mixtionem facilitandem inſerviens.*

His pro fundamento poſitis, cùm Sanitas nihil aliud ſit Medicorum omnium confeſſione, quàm debita Principiorum ex quibus unum-

unumquodque Vivens componitur, eorumque actionum proportio & ſymmetria, atque Morbus eorundem Principiorum actionumve ametria, inferunt Hermetici morbos omnes vel Mercuriales eſſe, vel Salinos, vel Sulphureos. Si tres hæ ſubſtantiæ debitè pro ratione Viventis permixtæ ſint, ſingulæque debitis ſuas operationes proportionaliter exerceant, hinc Sanitas Longævitáſque. Si verò illarum aliqua vel omnes proprios excedant cancellos & limites, ac ſuo quæque non fungatur officio pro cujuſque ſubjecti exigentia, infinita emergunt Morborũ genera, alia Sulphuris, alia Salis, alia Mercurii vitio. Singulorum proprios morbos defectuſque *Quercetanus*, Libro de Recondita rerum natura, & Tractatu de Internis rerum Signaturis recenſet; ad quæ loca qui accuratè illos ſcire cupit ablegamus, nobis hîc ſat eſſe exiſtimantes, ejus de Morborum Hæreditariorum Cauſis opinionem dilucidè explicare. Poſito igitur Morbos omnes vel Salis, vel Sulphuris, vel Mercurii naturam participare, concludit *Quercetanus* in Conſilio antè citato, morbos eos qui Salis fiunt vitio, ut Lepra, Arthritis, Calculus, fixas habere radices, proindéque Hæreditarios plerumque eſſe; reliquos autem morbos, quia principiorum fluxibilium & volatilium, ut Mercurii & Sulphuris, culpâ procedunt, quales ſunt Catarrhi omnes & Febres, haud ità facile ad poſteros pertingere; nam nec ſemina ſua firmiter figunt, nec tam altas agunt radices, quòd tenaciùs impreſſas non

non habeant tincturas. Salis atque etiam Sulphuris fixi energiam in morborum tranſplantatione, ſimilitudine à Plantarum radicibus & ſeminibus ductâ, ſic probat. *Si,* inquit, *Plantarum radices vel ſemina tranſplantes, facillimè novas agunt radices & regerminant, adeóque novos edunt fructus; quod neutiquam fiet de floribus aut foliis, in quibus aut Mercurius volatilis, aut Sulphur & Oleum volatile ſemen habent. Sal autem fixus perpetuò in radice continetur, & in quibuſdam caulibus & ſurculis medulloſis, & Sulphur fixum in ſemine: quapropter ex his tranſplantantur omnia vegetabilia; at à Mercurialibus, quæ facilè evaneſcunt, non item; quemadmodum nec à Sulphure volatili præditis, cujuſmodi ſunt flores, & nonnullorum folia.*

CAPUT VII.

De Principiis Chymicis Sententia Authoris.

HÆc quæ ex *Quercetano* de rerum Principiis Morborúmque Cauſis retulimus, quòd ex *Hippocratis, Ariſtotelis* aut *Galeni* monumentis non ſint deprompta, tanquam inania & abſurda doctiſſimi quamplures, & vulgares plerique omnes tam Medici quàm Philoſophi, rejiciunt, necnon eorum nonnulli ſcriptis aculeatâ virulentiâ refertis in eundem *Quercetanum* alióſque *Spagyricos*

gyricos immaniter ſæviunt. At ego, ut liberè quid ſentiam fatear, quamquam Veterum, præcipuè *Hippocratis* & *Galeni* in Medicina, *Ariſtotelis* in Philoſophia decretis ſemper ferè inſiſtendum, ab eorúmque doctrina rariſſimè recedendum firmiter teneam; negare tamen non audeo, ejuſmodi ſubſtantias ſeu principia hypoſtatica, quæ analogiâ quadam Sal, Sulphur & Mercurium repræſentant, in omni corpore mixto reperiri. Et miror profectò quâ fronte quiſquam experientiæ (ſcientiæ omnis & cognitionis inventrici) repugnare præſumat, niſi pro ratione ſufficiat, multos & pudere & pigere quidquam de novo admittere, quod confirmatæ eorum opinioni adverſetur, à qua nè latum quidem unguem recedere ſuſtinent, nè priùs non rectè ſapuiſſe videantur: multos tanta cum fatuitate, nè dicam Idololatria, *Hippocratem*, *Ariſtotelem* & *Galenum* venerari videas, ut quicquid ab illis non dictum, non dicendum, quicquid ab illis incognitum, nón cognoſcendum putent. Sed quàm longè decipiantur ex eo conſtat, quod ipſe *Galenus*, *Hippocratem* & *Ariſtotelem* multis in locis redarguat: quòdque Artium ſingularum (Medicinæ maximè) ambitus ità ſit infinitus, ut nemo à mundi orgine ad hunc uſque diem omnia quæ in Arte ulla cognitu ſunt neceſſaria perfectè & uſquequaque cognoverit. Nulla præteriit poſt *Hippocratem* mundi ætas, nullum luſtrum, nullus ferè annus, qui nova experimenta Therapeuticæ

in

inſervientia non protulit, quorũ quãplurima à Mulierculis & Idiotis caſu & fortuitò fuerunt inventa. Quid igitur mirum ingenioſos Medicos & Philoſophos, ratione, diligentiâ & quotidianâ experientiâ ducibus, antiquorum monumenta multis ditâſſe documentis, multis adauxiſſe incrementis? Equidem ſi *Hippocratis, Galeni, & Ariſtotelis* manes corporibus quæ olim induti erant reunirentur, & in terras revocarentur, animo obſtupeſcerent & magnopere geſtirent artem Medicam tot hodie ornamentis illuſtratam conſpicere, tot novis inventis ditatam, tot mirificis operationibus locupletatam, quæ eorum temporibus & multis pòſt ſeculis in *Cimmeriis* erant tenebris ſepulta. *Galenus*, 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus, c. 18. diverſas in aceto ſubſtantias agnoſcit, partes ſcilicet alias calidas, alias frigidas, quarum ſeparandi artem ita deperibat, ut pro ea comparanda omnes ſubire labores, omnibus objici periculis ſe promptum & paratum dixerit. Quod verò *Galenus* tanti æſtimabat, & tantopere callere exoptabat, nullus jam vel trimeſtris Chymicus ignorat. Aſſerit *Ariſtoteles* myrrham, thus & cætera quæ lacrymæ appellantur, terrea eſſe, & quæ ejuſmodi ſunt, negat exhalare, cùm non liquentur: quare in ejus opinione illorum deſtillatio fruſtra tentabitur; quod falſum eſſe experimur, cùm ex omni mixto aquã deſtillari poſſe videamus, licèt in majore copia ex uno, in minore ex altero, pro diverſa cujuſque natura. Non ſunt

igitur

igitur Veteres uſque adeo ſuſpiciendi, ut nihil illis adjici, nihil adimi poſſe videatur; neque Neotericorum Inventa ideo rejicienda, quòd Veteribus fuerint incognita.

Sed hîc duo Miſochymicorum argumenta removere decet. Clamant primò, Spagyricos, Sal, Sulphur & Mercurium rerum Principia aſtruentes, negare oportere tum prima omnium Principia, *Materiam*, *Formam* & *Privationem*, tum quatuor Elementa, *Ignem*, *Aërem*, *Aquam* & *Terram*, ex quibus unumquodque mixtum componitur, & in quæ ultimò reſolvitur. Omnia ergo; inquiunt, & Peripateticæ Philoſophiæ & Dogmaticæ Medicinæ fundamenta deſtruunt, convellunt & evertunt. Huic quidem calumniæ non levem occaſionem præbuit Chymiſtarum quorundam ignorantia & protervitas, qui Chymicorum Principiorum cum *Ariſtotelicis* conſenſum & conformitatem vel neſciebant, vel diſſimulabant. Doctiores verò & prudentiores Spagyrici admittunt *Ariſtotelica* Principia, *Materiam*, *Formam* & *Privationem*, quæ verè prima ſunt generationis corporum principia, ſed noëtica potiùs quàm hypoſtatica. Admittunt & quatuor Elementa, cum quatuor primarum Qualitatum conjugationibus, (in quæ, ut in priora, Sal, Sulphur & Mercurius reſolvuntur:) hæc, inquam, ut Principia agnoſcunt, ſed non proxima, & in quæ ſi fiat reſolutio, omnes mixti virtutes & proprietates intereunt, ipſaque tamquam in nihilum eva-

evaneſcentia ampliùs non apparent. Præter autem duo hæc Principiorum genera tertium agnoſcunt, proximum & ſenſibile, tria nimirum illa, Sal, Sulphur & Mercurium, ex quibus proximè mixtum unumquodque componitur, quæque ab invicem chymicè ſeparata manifeſtè ſenſibus apparent, & mixti virtutes omnes integras conſervant.

Vociferantur præterea unumquodque mixtum abſque ullius artis ope in conſtituentia Principia reſolvi poſſe; Chymicorum verò Principia non niſi Chymicâ analyſi & Vulcani miniſterio è mixto extrahi, ac proinde in mixto non contineri, ſed ignis potiùs effectus quàm rerum Principia dici debere. Vociferari ſanè hoc, non ratiocinari: falſum planè ſupponunt: ſeparantur ſine Artis auxilio Principia Chymica, quamquam id vix appareat, tum propter reſolutionis illius tarditatem, tum propter Sulphuris & Mercurii volatilitatem, quæ ideo in naturali reſolutione unà plerumque à Sale ſub fumi vaporoſi ſpecie ſecernuntur. At dubium non eſt quin in principio reſolutionis ſolus fumus ſeu Mercurius, vel cum minimo ſaltem Sulphuris admixto, egrediatur; deinde Sulphur, Salem inter craſſas fæces relinquens. Cujus rei non aliâ opus eſt demonſtratione quàm ipſâ Chymicâ reſolutione: cùm enim Ars nihil aliud ſit quàm Naturæ ſimia & imitatrix, quî poſſet illa Principia ex mixto ſeparatim extrahere, niſi in mixto continerentur, & naturâ ſuâ ab invicem ſeparabilia forent? Continentur

tur profectò in mixto, & non caloris aut ignis vi de novo producuntur, alioquin ſequeretur ex mixtis omnibus æqualis magnitudinis æqualem Salis copiam Chymico igne extrahi; quod eſt contra experientiam: Quædam enim corpora plurimum prebent Salis, parùm Sulphuris, alia plus Mercurii.

CAPUT VIII.

De Chymica Pathologia Sententia Authoris.

QUi Chymica rerum Principia negant, Spagyricam etiam Pathologiam & Therapeiam cane pejus & angue, ut dicitur, abhorrent, non ſecùs ac ſi Dogmaticam de Affectuum cauſis, natura & cura Doctrinam funditus everterent. At ſanè qui rem penitiùs perpendere volet, utriuſque Sectæ Dogmata non uſque adeo inter ſe diſcrepantia comperiet: imò ex elegantibus & artificioſis Spagyricorum topiariis multos ſalutiferos flores deprọmptos ingentem incultioribus Dogmaticorum hortis ſplendorem addidiſſe intelliget, ità ut Hermeticam Scholam Dogmaticæ augmentatricem potius quàm evertricem judicet. Eadem enim medicamenta tum Dogmatici tum Chymici miniſtrant; ſed ab his magis pura, minus cruda & craſſa, & ad operandum efficaciora effecta exhibentur: quod cum Dogmaticorum

rum nonnulli ſuo parùm felici in multis per vulgaria remedia medendis ſucceſſu animadverterent, in Spagyricorum Gazophylacium excurrere, indéque varia furtim delata Medicamenta ſuis ægris propinare, ſuiſque Scriptis inſerere coacti ſunt. *Fontanus*, quamvis acerrimus *Paracelſiſtarum* hoſtis, (ut patet ex iis quæ 3. Method. gener. Cap. 1, aliiſque in locis ſcribit) in praxi tamen ad Chymica Medicamenta multoties recurrit, Ad Pulmonũ infarctum tabellas præſcribit ex floribus Sulphuris & Saccharo in aquâ Tuſſilaginis ſoluto. Contra eundem affectum aquis & eclegmatis pectoralibus oleũ Sulphuris admiſcet. In Hepatis & Lienis obſtructionibus Crocum Martis & Cremorem Tartari exhibet. Ad Epilepſiam tollendam aquas chymicè diſtillatas ex Cranio humano & radice Pæoniæ; Salem item Pæoniæ & oleum Vitrioli laudat. *Rinodæus* pariter Medicus *Pariſienſis*, licèt in Inſtitutionum pharmaceuticarum Lib. 2. cap. 2. præparationes Chymicas ſæpe ſatius ſcire quàm experiri dicat; eodem ipſo Capite Chymicorum remedia à Pharmacopolio non ablegantda cenſet, eorúmque multa ad contumaces ſolvendos affectus eximię eſſe virtutis ait. Et ejuſdem libri Cap. 23. de Extractis in hunc modum ſcribit. *Ejuſmodi Extractum parvâ mole vires habet eximias; illiúſque drachma non minoris eſt efficaciæ quàm uncia medicamenti totâ ſuâ ſubſtantiâ craſſiore exhibitâ: ſolent verò his Extracta dari quorum nauſeat Ventriculus ſuper Pharmacopæorum*

Medi-

Medicinis. Quibus ex verbis colligere licet, vel ipſorum Dogmaticorum confeſſione Chymica medicamenta communibus Pharmacopœorum præparationibus gratiora, tutiora & efficaciora eſſe. *Weckerus* denique, celeberrimus Scholæ Dogmaticæ alumnus, innumeras habet in ſuo Antidotario deſcriptiones, & Spagyricos extrahendi modos diverſorum Salium aperientium, detergentium & purgantium, diverſorumque Liquorum, tam Sulphureorum quàm Mercurialium, herbarum, florum, ſeminum, radicum, aromatum, aliarumque rerum vegetabilium; quæ omnia & ſingula olea, ſales & aqueos ſpiritus, plurimorum morborum propria eſſe & ſpecifica remedia teſtatur. Hanc autem efficacitatem Chymica medicamenta non aliunde quàm ex laborioſiore, magiſque artificioſa præparatione acquirunt. Sunt enim eadem (ut antè dictum) quæ Dogmatici exhibent.

Quod ad Therapeiam ergò attinet, in ſolis medicamentorum præparationibus Chymici, ſaltem prudentiores, à Dogmaticis differunt. Neque ſanè majus eſt eorum in Pathologia diſcrimen. Non inficiantur Hermetici quatuor dari in humano corpore Humores, Sanguinem, ſcilicet, Pituitam, Bilem & Melancholiam, eoſque variis cum ſuis, tum inſitis tum acquiſitis, qualitatibus infinitorum morborum cauſas eſſe: morborum autem productionem non ipſis Humoribus quatenus Humores ſunt, ſed quatenus in ſe Sal, Sulphur & Mercurium continent, attribuendam

buendam ajunt: morbificas ſiquidem qualitates & qualeſcunque alias non ab Humoribus, ſed à tribus illis Principiis procedere volunt. Nec aſſertio ratione deſtitui videtur: quandoquidem humiditate omni vi caloris evaporatâ, Sal remanens priſtinas ſervat virtutes & qualitates, quas ſi ab humiditate accepiſſet, unà cum humiditate perdidiſſet. Aſſerere ergò hypoſtatica illa principia ex quibus conſtamus eſſe morborum cauſas, non eſt abſurdum, neque Dogmaticorum doctrinæ Pathologicæ multùm repugnat.

CAPUT IX.

De morboſæ Hæreditatis Cauſa Sententia Authoris.

IN Hæreditario Jure quod in Morbis reperitur deſcribendo, ejúſque Cauſâ enodandâ, ſolum *Quercetanum*, ex omnibus quorum Scripta vidiſſe mihi contigit, laudem promeruiſſe arbitror. Cùm enim Medicina Practica ſit Scientia, non Speculativa, ejúſque Finis ſit Opus, non Contemplatio; ità Medicum de Morbis diſſerere decet, ut omnis ejus diſcurſus ad Curationem tendat, eáſque oportet rimari morborum Cauſas, è quibus Therapeutica aliqua Indicatio deſumi queat. At ſive Sanguinis, ſive Seminis, ſive utriuſque vitio morbos fieri Hæreditarios dicamus,

mus, nulla indè Indicatio elicietur, niſi quid ſit vitium illud, quo mediante & Semen & Sanguis hæreditariam fœcunditatem morbis imprimunt, detegamus. Solus *Quercetanus*, quòd ſciam, generale ejuſmodi vitium aſſignavit; Sal ſcil. fixum, de cujus natura quicunque participant morbi ad Poſteros pervenire ſolent. Nihil tale nobis à Dogmaticis patefactum, víxque ex eorum Doctrina tale quidquam elici poteſt: quandoquidem enim morbos ferè omnes morbificáſque qualitates ab Humoribus dimanare contendunt, & morbi cujuſque Hæreditarii cauſa fixum quid ſit & terrenæ naturæ, non quoad qualitates primas, Siccitatem & Frigus, ſed quoad ſoliditatem fixámque ſubſtantiam, Humorem verò nullum præter Melancholicum terrenum illi agnoſcunt; ex eorum ſententia inferri poſſet, morbi omnis Hæreditarii cauſam eſſe melancholicum humorem. Cæterùm ipſi concedunt unum morbum Hæreditarium, verbi gratiâ, Arthritidem, aliquando ſanguineum eſſe, aliquando bilioſum, aliquando pituitoſum, aliquando, ſed omnium rariſſimè, melancholicum. Quæ igitur vera ſit radix morboſæ Hæreditatis ex Dogmatica Pathologia vix intelligitur.

Nos ergò, ut duabus primo propoſitis Quæſtionibus tandem reſpondeamus, cum *Quercetano* dicimus, Sal morboſum morboſæ Hæreditatis cauſam eſſe, nullúmq; morbum fieri Hæreditarium qui de natura Salis non participat, ac proinde morbos in ſpecie hæredi-

reditarios non eſſe, quandoquidem non omnes de Salis natura participant. Dicere etjam poſſumus, (ut ambas inter ſe Sectas conciliemus) impuritatem illam Seminis & Sanguinis quæ Juris hæreditarii in morbis eſt origo, nunc ſanguineam, nunc bilioſam, nunc pituitoſam, nunc melancholicam eſſe, aliquid tamen in ſe ſubſtantiæ ſalinæ & tartareæ continere. Variæ enim & diverſa Salium genera in corpore humano gignuntur, quæ in variis effloreſcunt humoribus. Sal gemmæ & commune in Pituita ſalſa apparet; Sal armoniacum acetoſum in Pituita acida, & in quadam ſpecie Melancholiæ acidæ; Sal vitriolatum æruginoſum in Bile æruginoſa; Sal aluminoſum pungens & ſtypticum in Pituita vitrea; Sal nitroſum amarum in Bile amara; Sal dulce ſaccharinum in Pituita dulci; Sal arſenicale & ſepticum in humoribus malignis & peſtilentibus: ex quorum omnium coagulationibus innumeri oriuntur morbi, ut Arthritides, Calculi, Scirrhi, & variæ Obſtructionum ſpecies, pro variis Salium & Tartarorum naturis; quemadmodum & ex iiſdem reſolutis complures naſcuntur morbi; ex corroſivis, verbi gratiâ, diſtincta Dyſenteriarum genera; ex acribus & ſalſis ardores Urinæ; ex acetatis orexes Ventriculi, ex arſenicatis Anthraces, Ulcera cancroſa, Phagedænica, Dyſepulota, & ſimilia; & ex ſtypticis quædam Colicæ ſpecies quæ tandem in Contracturas degenerat.

C A-

CAPUT X.

An poſſint Parentum Morbi in Nepotes transferri intactâ intermediâ Prole.

INter alia quæ de Morbis quæri poſſunt Hæreditariis, ſpeculatu non eſt indignum, An poſſibile ſit Parentes tranſmittere morbos ſuos ad Nepotes alioſve Poſteros, abſque eo quod proxima & immediata Proles ejuſmodi morbis corripiatur. Negativæ parti ſequentes duæ Rationes favere videntur. Cum Agens omne per contactum agat, ut ab *Ariſtotele* docetur 7. Phyſic. Cap. 2. impoſſibile eſt Agens aliquod in Patiens agere remotum, quin priùs agat in propinquum; eâdemque actione eundem producat effectum in propinquo quem produxit in remoto: Imò ut in propinquum quàm remotum fortiùs agat neceſſe eſt, modo propinquum & remotum ejuſdem ſint naturæ: quodlibet enim agens certam & determinatam habet ſuæ activitatis ſphærã, in cujus omnes partes non agit æqualiter, ſed in propinquiores fortiùs, in remotiores debiliùs, ſi propinquiores partes illius effectûs ſint æquè capaces ac remotiores. Aliter verò contingit cùm diverſa ſunt patientia, & propinquius eandem cum remota alterationem ſubire non poteſt; ut videre eſt in Lumine Solari, quod calorem in ſublunaribus corporibus procreat, non autẽ in

inferioribus Planetis, quamvìs longè propinquioribus, propterea quod Cœleſtia corpora alterationi non ſint obnoxia. Sic Magnes occultâ virtute Ferrum diſtans cum quadam violentia attrahit, interjectas verò paleas, ligna, lapides, aliáque non minus quàm ferrum mobilia, nullatenus movet; ideo quia ſympatheticam Ferri cum Magnete qualitatem non habent, quâ mediante vim à Magnete moventem acciperent. At Nepotum reliquorumque poſterorum nulla eſt ejuſmodi diſparitas cum proxima prole reſpectu morboſarum Parentis impreſſionum; omnes ſiquidem in Parentum morbos incidere poſſunt. Cum igitur Parentum nihil niſi mediante Prole proximâ ad Nepotes tranſire poſſit, neceſſe eſt, ut parentale vitium & prius & fortius proximos Natos quam Nepotes inficiat.

Alterum Argumentum ſumitur ex *Ariſtotele*, primi de Demonſtrat. Cap. 2. Quod efficit tale id ipſum eſt magis tale: At proximi filii Parentum morbis ſubſequentes poſteros inficiunt: Ergo ipſi eoſdem habent morbos.

His tamen Rationibus non obſtantibus, contrariam partem vel ipſa probat Experientia. Complures enim morbis cruciantur Hæreditariis quorum proximi Parentes nihil unquam tale ſunt perpeſſi. Sed Empirici eſt nudis inſiſtere Experimentis; Philoſophi verò & Medici, certam & evidentem cujuſque rei cognitionem ex Cauſis expiſcari ac demonſtrare. Placet ergò modum explicare, quo

quo in multos multi Avorum & Proavorum cadant morbi, quos intermedii Parentes nunquam ſenſerunt. Id tribus præſtabimus Theorematis.

Primò, Aſſerimus morboſam Hæreditatem non à ſolo Patre, ſed etiam & à Matre procedere: licèt enim maternum Semen paterno debilius plerumque ſit, activum tamen eſt, quicquid contra Peripatetici clament: Quòd ſi etiam nulla activitas ineſſet materno Semini, ipſius Uteri & Sanguinis menſtrui impuritas ad infauſtam hanc Hæreditatem Soboli communicandam ſufficeret: ſicut enim Tritici ſemen, quamvìs alioqui bonum & laudabile, ſi in ſolo non bono ſeminetur, in zizanias abit, aut certè in frumentum illaudatum; ſic ſanum, vegetum & laudabile Patris ſemen malignam concipit indolem morborum Matrem affligentium, unde morbida Proles morbíſque Hæreditariis obnoxia procreatur. Secundò, Affirmamus è contra, fieri poſſe ut à Patre morbido vitioſumque conferente Semen ſana, integra & vegeta Proles naſcatur; materno nimirum ſalubri, valido & laudabili Semine, Sanguine & conſtitutione paterni Seminis vitia prorſus abolente, ita ut paternæ morboſitatis vitiorúmque veſtigia nulla in prole appareant, nullæque ſuperſint reliquiæ. Unde prudenter agere cenſendi ſunt, qui Conjuges corpore rectè valentes, virtutibúſque tum ſuis tum majorum inſignes, potiùs quam divitiis abundantes, Liberis ſuis providere ſatagunt

Tertium Theorema eſt, Unius Seminis impuritatem rariſſimè ab alterius, quantumvis ſani, commiſtione tolli penitus, ſæpe autem ita corrigi, ut in fœtu qui ex illa commiſtione conſurgit nullus illius impuritatis fructus appareat; mali tamen radix viva fortaſſe quoad vivit lateat, unáque cum Semine (qùod hominis eſt quaſi extractum) in ejus Liberos transferatur, in quibus alterius Seminis, quamvis non morboſi, imbecilli tamen, nullâ aut exiguâ reſiſtentiâ cohibita, infauſta producit germina infelicéſque ſtolones, Hæreditarios nimirum morbos, quorum nec vim nec ſymptomata Pater unquã fuerit perpeſſus, licèt eorum in ſeipſo cauſam fixam, ſed ſopitam, & quaſi *Prometheum* vinculis conſtrictum, per totam habuerit vitam: non ſecùs ac fertiles Vites in glacialibus plantatæ plagis aut nullos, aut acerbos edunt fructus; ſed in benignius ſolum tranſplantatæ ad priſtinam redeunt fertilitatem, dulcéſque ac vinoſas præbent uvas: aut quemadmodum Aqua, quæ naturâ gelida eſt, igni ſuperpoſita calorem concipit, ac infrigidare nequit; igne verò remoto nativum frigus refrigerandíque poteſtatem recuperat.

Ex his facile eſt contraria ſolvere Argumenta. Ad Primum reſpondetur, Agens omne per contactum agere ſive mediatum ſive immediatum; & per conſequens Parentis morbos priùs imprimi Natis quàm Nepotibus quoad Cauſam: cui tamen cauſæ aliquid in Natis (alterius nimirum Parentis valida

lida & ſana conſtitutio) reſiſtit, quod fortaſſe non ſit in Nepotibus; unde aliquando contingit ut Cauſa illa Effectum quem non potuit in Natis, in Nepotibus ſortiatur.

Secundo item Argumento idem ſatisfacit reſponſum: Conceditur enim Filios in ſe continere Cauſas morborum quibus Nepotes inficiunt, non ſemper autem ipſos morbos. Diſpar ſiquidem eſt aliquando morbificarum cauſarum actio in Natis & Nepotibus: in his libera interdum & fortis ſine ulla reſiſtentia, in illis à reſiſtente contrario debilitata. Majorum morbi in remotis Poſteris jure Hæreditario elucēſcere, licèt propinquos aut intermedios non moleſtent. *Morbus hic*, inquit Valeſcus de Taranta, in Philonio, Cap. de Elephantiaſi, *inter Hæreditarios reponitur, & aliquando ad poſteros tranſit, mediis ſalvis.*

CAPUT XI.

An Morbi Hæreditarii ſint curabiles.

DIfficultatem omnium quæ in Morbis medendis occurrunt nulla, quæ pluribus ſit communis, medentiū magis terret animos, magíſq; de incepto deſperare facit opere quàm ſi quos curandos ſuſceperunt Morbos ægris Hæreditario jure advenisſe intelligant: quamplurium enim Medicorum opinio eſt, imò omnium ferè, Morbos

nullos Hæreditarios radicitus extirpari. *Cùm*, inquit *Iulius Palmarius*, Medicus *Pariſienſis*, in opere de Morbis contagioſis, Tractatu de Elephantiaſi, Cap. 4. *ex Elephantico ſemine vitium eſt contractum, de ægri ſalute ſpes omnis abjicienda.* Idem confirmat in ejuſdem Tractatûs Cap. 7. rationémque addit, *Elephantiaſis*, inquit, *quæ Hæreditario jure ſucceſſit, vel inveterata eſt, nullo unquam remedio penitus exſcinditur. Hæreditaria naturæ & Seminis fit vitio, quod Ars nulla emendare poteſt.* Eadem eſt *Frambeſſarii* opinio de Hæreditaria Arthritide, in Appendice ad libros Canonum medicinalium, diſtinctione ſecundâ, Canone 5. *Quibus*, inquit, *Hæreditaria eſt Arthritis, vix unquam planè liberantur, quemadmodum nec quibus nodoſa evaſit: illis enim connatum eſt, & vitæ principiis inſitum infixúmque malum*, &c. Cum *Frambeſſario* conveniunt *Fontanus*, *Paræus*, & *Avicenna* in Hæreditariæ Arthritidis prognoſi. *Quando*, inquit, *Gordonius*, in Lilio, Capite de Epilepſia, *aliquis eſt generatus tempore menſtruorum, aut ex immundis ſpermatibus, aut Parentes ſunt Epileptici, deinde genitus incurrit Epilepſiam, talis non videtur curabilis. Epilepſia*, inquit *Bruellus*, *inveterata incurabilis, uti ea quæ ab ortu comitatur.* Sed quid pluribus authoritatibus opus? Quicunque de morbis Hæreditariis ſcripſerunt eandem de illis prognoſin omnes tradiderunt, eorúmque una omnium ratio & idem fundamentum, Na-

turæ

curæ ſcil. vitia Arte non tolli: morbos Hæreditarios Seminis & Naturæ vitio fieri; nullis ergò remediis curari.

Tot ego tantíſquè Philoſophis & Medicis ut prorſus diſſentire nolim, ſic nec in hac re uſquequaque conſentire poſſum In hoc autem cum illis conſentio, morbos Hæreditarios aliquando incurabiles & plerumque curatu difficiliores aliis omnibus qui Hæreditarii nunquam fuerint: In hoc diſſentio, quod illi curandi difficultatem Hæreditario juri, ſeu parentali in natis ſympathiæ, tribuant, non vero illius Hæreditatis radici & cauſæ, ſubſtantiæ ſcilicet ſalinæ & tartareæ, difficulter mobili & difficulter diſſipabili. At meâ opinione fixitas & terreſtreitas tum ſeminalis impuritatis, tum materni Sanguinis vitii, radix eſt morboſæ Hæreditatis, & cauſa cur hi morbi incurabiliores ſint morbis Sulphureis. In eo præterea quod dicunt Naturæ & Seminis vitia Arte tolli non poſſe, partim aſſentior, partim diſcrepo. Aſſentior, ſi Artem nudam, omníque Naturæ auxilio deſtitutam, intelligant: adeo verum eſt illud *Hippocratis*, *Naturæ morborum medicatrices*; & irrefutabile illud *Galeni*, *Æqualis intemperiei nulla cura*. Diſcrepo, ſi de Natura loquantur nondum victa, nec adhuc malis penitus ſuccumbente. Ejuſmodi enim Naturæ vitia quæ ab ipſa ſola Natura expelli nequeunt, ab eadem Natura ab Arte adjuta tolluntur. Nullus eſt morbus ſua ſpecie lethalis, nullus incurabilis: neque jus Hære-

ditarium ex illis eſt epigenomenis aut ſupervenientibus ſymptomatis, quæ morbos alioqui curabiles incurabiles reddunt. Imò verò è contrà, videmus morbos qui in Parentibus incurabiles aut ſaltem curatu difficiles ſunt, facili negotio in Natis aliquando curari, licèt Hæreditarii ſint in utriſque. Morbi namque Hæreditarii radix aliquando firmior eſt & fortior in Patre quàm in Filio, ac proinde medicamentorum actioni magis reſiſtit in Patre quàm in Filio, niſi Filius aliundè quàm à Patre nova morbi germina acceperit. Si quæras unde illa virium morboſæ radicis diſparitas in Patre & Prole; Dico primò, Morboſam radicem nihil aliud eſſe quàm ſeminis & ſanguinis impuritatem, & prolem ex utriuſque Parentis Semine & materno Sanguine conſtare, ac ortum trahere, ideóque cùm unius Seminis impuritas ab alterius Seminis vel Sanguinis ſalubritate corrigitur & debilitatur, (ut quandoque contingere poteſt) neceſſarium eſſe ut morbus qui ex debilitata illa impuritate conſurgit, in Nato facilius eradicari poſſit, quàm Parentis morbus ex impuritate non debilitata emanans.

Dico ſecundò, Morbo omni Hæreditario certum & præſcriptum eſſe ſuæ durationis terminum, ita ut vel ipſo quaſi ſenio confectus abſque ullius artis ope tandem deſinat: quemadmodum enim morbi acuti certa habent initii, augmenti, ſtatûs & declinationis tempora, certo dierum vel menſium numero diſtincta; ſic morbi Hæreditarii ſuum

habent

habent initium, augmentum, ſtatum & declinationem, quæ non diebus neque menſibus, ſed potius annis, luſtris, & aliquando ſeculis inter ſe diſtinguuntur. Morbus ergò qui Parentem in augmento vel ſtatu affligebat, ſi Natum in declinatione corripiat, debilior erit in hoc quàm in illo, & per conſequentiam curatu facilior. Jus ergò Hæreditarium nihil Morbis addit quod eos incurabiles reddat, & conſequenter Morbi Hæreditarii non ſunt incurabiles.

CAPUT XII.

Generalis Morboſæ Hæreditatis Therapeia.

Morborum in quos Jus cadit Hæreditarium magnus eſt numerus, diverſæ naturæ, & varia ac repugnantia ſymptomata; quare multæ & diſſimiles ſunt ſpeciales eorum Therapeuticæ indicationes; una autem omnium communis & generalis, abolitio ſcil. radicis & cauſæ à qua morboſa Hæreditas dependet. De hac ſola hîc nobis erit ſermo.

Diximus antè, Hæreditariam morborum radicem nihil aliud eſſe quàm craſſam quandam impuritatem, quam Chymici Salem aut Tartarum morbidum appellant, ſolidæ alicui Parentis parti infixam, & vel Seminis vel materni Sanguinis vi Liberis communicatam. Hæc ut amoveatur, duo ſunt à Medico obſervanda. Primò, ſpecifica oportet invenire

remedia Tartarum diſſolventia & evacuantia. Secundò, debita in remediis adminiſtrandis obſervanda methodus. Specificorum defectu & ignoratione contumaces affectus, quales ſunt ex Tartaro oriundi, à Medicis ignaris incurabiles plerumque redduntur: ut videre eſt in vulgari Arthritidis cura, quæ ſi à frigidis craſsiſque humoribus orta judicatur; materiam morbificam calidis potentérque ſiccantibus medicamentis attenuare & diſcutere plerique Medicorum aggrediuntur. Sed quo ſucceſſu? Non modò humorem non attenuant, neque diſcutiunt, ſed in gypſeam potiùs duritiem, in tophos & nodos convertunt: partibus enim tenuioribus vi caloris evaporatis, reliqua materia in lapideam quandam ſoliditatem cogitur. In doloroſa pariter & pungente Arthritide, in qua rubor, tumor & calor apparent, refrigerantium medicamentorum (quorum alia ἀποκρουστικὰ ſive repellentia, alia narcotica ſive ſtupefacientia appellantur) uſu dolorem quidem aliquantiſper ſedant, morbum autem incuratum, ſi non incurabilem, relinquunt, Tartaro nimirum, Arthritidis omnis cauſâ, indiſſoluto; cujus certè diſſolutio non in vi caloris attenuante, multò minus in frigoris facultate condenſante, ſed potiùs in ſpecifici remedii virtute ſpecificè diſſolvente conſiſtit. Tot autem ſunt ſpecifica diſſolventia quot Salium & Tartarorum genera: & quæ unius generis Salem aut Tartarum diſſolvunt, alia alterius generis & naturæ diſſolve-

re

re nequeunt. Ut videmus, quod Aurum ſolvit non ſolvere Argentum, & viciſſim quod Argentum diſſolvit, Aurum non diſſolvere; &, quod magìs mirandum eſt, Chryſulcam illam Aquam quæ & Fortis appellatur, & duriſſimorum metallōrū diſſolvendi vim habet, diſſolvere non poſſe Sulphuris exiguū, quod tamen in pauco Oleo facillimè diſſolvitur.

Magna eſt lis inter Dogmaticos & Spagyricos, quomodo ſe habeant diſſolventia ſpecifica ad ſua diſſolubilia, an contraria ſint, an ſimilia: Hoc Spagyricis placet, illud Dogmaticis. Dogmatici nullam actionem niſi inter contraria concedunt: Spagyrici contra nihil niſi in ſimile agere ajunt, ídque probant quibuſdam Experimentis. Gummi quæ aquea ſunt & Mercurialia, ut gummi Arabicum, Tragagantinum, gummi Prunorum & Ceraſorum, in aqua, non in oleo diſſolvuntur: at Maſtix, Thus, Lacca, Sulphur, quoniam oleoſa ſunt & de natura Sulphuris, in oleo ſolvuntur, nunquā in aqua: quę autem gummi partim ſulphurea ſunt, partim aquoſa, & de natura Sulphuris plurimum participant, ut Ammoniacum, Sagapenum, Galbanum, neq; in oleo neque in aqua ſolvuntur, ſed in aceto, quod vitriolici Salis ſpiritū, partim etiam ſulphureū, partim mercurialem, in ſe continet.

Lis hæc magna quidem in verbis, in re nulla eſt. Diſſolvens & diſſolubile, morbifica cauſa & ſpecificum remedium, oportet ſimilia ſint & contraria; ſimilia in ſubſtantia & genere, contraria in qualitate & actione Ar-

thritis

thritis à Salibus generatur tartareis, acribus & corroſivis; à Salibus etiam curatur, ſed lenitivis & conſolidativis. Calculus fit à Tartaro ſeu Sale coagulato; curatur à Sale reſolvente & penetrante. Febris excitatur à Sulphure inflammatorio; extinguitur à Sulphure acido & vitriolato, quod ſummè refrigerat, ſulphureóſque ſpiritus commotos coagulat & compeſcit. Contraria igitur neceſſe eſt eſſe remedia; ut ſint autem ſpecifica, debent eſſe ſimilia; quorum inquiſitioni Medicos omni ingenio incumbere decet: illa enim ſunt quæ morbos averruncant, ſi dexterè & cum methodo adminiſtrentur; ſine methodo verò parùm prodeſſe poſſunt. Hinc fit quòd Empirici & Mulierculæ, quamvis optima & ſpecifica morborum remedia nôrint & habeant, morbis tamen vel rariſſimè medeantur, propterea quòd methodum ignorent quâ in remediis adminiſtrandis uti decet. Neque Empirici ſoli, ſed & Medici complures, aut ignorantes aut negligentes, mortem & perniciem ægris, dedecus & ignominiam ſibi perſæpe pariunt.

Methodus hæc, pro varia morborum diverſitate varia, eſt multiplex: imò idem ſpecie morbus in variis ægris, ætate, aut temperamento, aut regione, aut conſuetudine, aut anni tempore non convenientibus, variam poſtulat curandi methodum. Generalia autem ejus Capita, & quæ in omni morbo ferè obſervanda, ſequentes comprehendunt Canones Duodecim.

Duo

Duodecim principes generalis methodi Canones.

Canon Primus. In omni Morbo toti corpori per univerſalia priùs remedia quàm parti affectæ per particularia & topica proſpiciendum: aut ſaltem particularia nunquam exhibenda, quin univerſalia vel præceſſerint, vel ſimul adminiſtrentur. Secùs facientes Empirici & indocti Medici, in frigidis v. g. Hepatis affectibus, dum calida imprimis topica parti applicant, omnes pravos corporis humores illuc attrahunt, & morbum augent.

Secundus Canon ſumitur ex *Galeno*, Com. 5. Sect. 1. lib. 6. Epidem. Quandocunque catharſi & Phlebotomiâ utendum, à Phlebotomia tutius eſt incipere; ſanguine namque detracto, obſtructiones auferuntur, unde facilior medicamenti per venas meatus, & natura parte oneris levata ad medicamento cooperandum in corruptis humoribus excludendis alacrior & robuſtior redditur. Eſt tamen advertendum, quòd quando ventriculus peculiari humorum pravitate laborat, vel Emetica vel Cathartica Phlebotomiæ præmittenda ſunt, nè venæ poſt ſanguinis detractionem vitioſos è ventriculo humores ſugant. Conveniens etiam eſt, ſi morbus inducias concedat, ante venæ ſectionem emolliens injicere Enema, nè fæculenti humores in inteſtinis ſtabulantes ab exhauſtis venis attrahantur.

Ter-

Tertius Canon. Morbifica materia primò præparanda, deinde evacuanda. Aphor. 22, l. 1. Qui ſecùs faciunt duo invehunt incommoda. Primò, calorem præparantem & coquentem reſolvunt: ſecundò, movent & non purgant, variáque mala ſymptomata excitant. Si tamen nimia adſit plethora, primò omnium portiuncula leniter adimenda per phlebotomiam, ſi ſanguinea, per vomitum aut ſeceſſum, ſi ſit cacochymica: Alioquin periculum eſt nè medicamenta præparantia materiæ morbificæ corruptionem & contagium contrahant, naturámque potiùs opprimant quàm levent.

Quartus Canon. A Cauſæ morbificæ remotione poſt præparationem Curatio auſpicanda, niſi id ſymptomatum violentia impediat: aliquandò enim ob periculum à ſymptomate imminens Cauſam aliquantiſper deſerere cogimur, & mitigationi ſymptomatis incumbere.

Quintus Canon. Cùm morbus à pluribus Cauſis ſibi invicem ſubordinatis dependet; à remotiori initium ducendum: ut ſi Epilepſia procedat ab Uteri ſtrangulatu, ſtrangulatus à retentione menſtruorum, menſtrua autem ſupprimantur ab humorum craſſitie quæ fluxui eſt inepta; ante omnina humores ſunt attenuandi, tum menſes movendi, & uterus purgandus, poſtremò Cor & Cerebrum corroboranda.

Sextus Canon. Cùm diverſorum graduum medicamenta ſunt exhibenda, ut in contumaci-

macibus & Chronicis affectibus fieri ſolet, benigniora primò adminiſtranda: Natura enim non eſt nimiùm commovenda, antequam materia peccans ità correcta & minorata fuerit, ut uno quaſi impetu expelli poſſit.

Septimus Canon. In Chronicis & contumacibus morbis plus prodeſt optima victûs ratio, quàm crebra medicamentorum exhibitio: neque iiſdem remediis ſemper utendum, ſed ad ſimilia interdum debet fieri mutatio; faſtidioſi namque ægrotantes è nova remediorum forma plus auxilii expectant, eámque alacriùs amplectuntur.

Octavus Canon. Complicatos & implicitos morbos, qui naturâ & curâ conveniunt, aut non niſi parùm diſſentiunt, & ſimul & ſeorſim ſanare licet: cúmque id ſeorſim fit, ab utrovis incipere conceditur: ſed ſi unus alterum ſuperet, magíſve urgeat, illi cautius proſpiciendum, altero non neglecto, ex conſilio *Galeni*, Cap. 9. l. 1. de Sanitate tuenda.

Nonus Canon. Implicitarum affectionum, quæ aut omnino diſſentiunt, aut partim conſentiunt, partim diſſentiunt, ab ea auſpicandum cujus curatio alteri non officit, & quæ alterâ præcedente compleri nequit: ut ſi Ophthalmiæ jungatur Albugo, illa primum tollenda, deinde hæc detergenda. Ophthalmiæ curatio Albuginem non lædit; Albuginis verò deterſio, quæ acribus fit medicamentis, novam fluxionem accerſeret, unde Ophthalmica phlegmone exaſperaretur.

Decimus Canon. Bilioſa corpora vomitu tutiùs

tutiùs evacuantur, teſte *Hippocrate*, Aphoriſmis 4, 6, 17, & 18. lib. 4. niſi quid impediat, ut ſi Tabes adſit: nam tabidos per ſuperiora purgare prohibet *Hippoc.* Aphoriſm. 8. ſect. 4. Prohibent & moderni plerique practicantes vomitionem in omnibus ferè pectoris affectibus. Ego tamen *Rulandum* imitari malim, qui felici cum ſucceſſu vomitoria miniſtrat in Tuſſi, Aſthmate, utraque Pleureſi & Angina, ut ex ejus Curat. Empir. Cent. patet.

Undecimus Canon. Humores craſſi per alvum purgari volunt. Aphor. 4. lib. 4. Cavendum tamen ab hac evacuatione in dyſentericis doloribus: humor enim noxius per affectam partem nunquam derivandus. Cavendum præterea nè hypochondria ſint extenuata, ex Aphoriſm. 35 lib. 2.

Duodecimus Canon Materiæ fluenti & fluxuræ revulſio & diverſio debetur per vacuationem ex parte oppoſita ejuſdem lateris; materiæ quæ fluxit & non impacta eſt, derivatio ex parte propinqua ſecundùm communicationem vaſorum; materiæ quæ fluxit & jam impacta eſt; evacuatio ex ipſa parte affecta.

Epilogus *ad Lectorem.*

Aliæ quamplurimæ ſunt in Morbis medendis obſervandæ Regulæ generales, de forma nimirum, quantitate & tempore exhibendorum medicamentorum, ſed quarum

una-

unaquæque quamplurimas patitur exceptiones, quæque in ſpecialibus morborum curativis hiſtoriis cautius tradi poſſunt. Eas igitur nos hic ſilentes, & alibi, modò Deus vitam & opportunitatem concesſerit, latius tradituri, has paucas totúmque Opuſculum benevolo Lectori grato animo offerimus, quæ ſi boni conſuluerit, nobis ad majora animos addet.

FINIS.

Elen-

Elenchus Capitum.

Cap. I. Quid ſit, & an ſit Morbus Hæreditarius. pag: 183
Cap. II. Quæ ſit Morbi Hæreditarii Cauſa: & an omnes Morbi ſint Hæreditarii. Fernelii Opinio. 187
Cap. III. Fernelianæ Opinionis Confutatio. 190
Cap. IV. Laurentii Opinio. 195
Cap. V. Confutatio prædictæ Opinionis. 197
Cap. VI. Quercetani Opinio. 201
Cap. VII. De Principiis Chymicis Sententia Authoris. 206
Cap. VIII. De Chymica Pathologia Sententia Authoris. 211
Cap. IX. De morboſæ Hæreditatis Cauſa Sententia Authoris. 214
Cap. X. An poſſint Parentum Morbi in Nepotes transferri, intactâ intermediâ Prole. 217
Cap. XI. An Morbi Hæreditarii ſint curabiles. 211
Cap. XII. Generalis Morboſæ Hæreditatis Therapeia. 225

160805



B. 61.

XXX
A-32

BI